

Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks

This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.

8°
Y. 236.
B.S.

SERMONES
C. HUGENII
DE
VITA
PROPRIA.

CONSTANTINI HUGENII

DE

VITA PROPRIA

SERMONUM INTER LIBEROS

LIBRI DUO.

PRIMUM EDIDIT ET ANNOTATIONE ILLUSTRAVIT

PETRUS HOFMAN PEERLKAMP,

Gijmnaſii Harlemenſis Rector.

BELGICIS VERSIBUS ADUMBRAVIT

ADRIANUS LOOSJES P.F.

HARLEMI

APUD A. LOOSJES PF.

MDCCCXVII.

BIBLIOTHECA·BODLEIANA·

GULIELMO

BELGARUM

REGI.

Si vacat a magnis paulum ſecedere curis,
Quas tibi dant populi res, Gulielme, tui!
Suſcipe, pacato, quo ſuſcipis omnia, vultu,
Mentis dona piae nec ſimulantis opus,

Haec etiam Hugeniae monumenta ſenilia Muſae.
Sunt ab Arauſiaca non aliena domo.
Hic fidei exemplum mater Colinaea legetur,
Per ſcelus illa ſuis bis ſpoliata viris.
Mauritium invenies, belli qui fulmen Iberi,
Vindictam patriae ſumſit ab hoſte necis.
Oppidaque Henricum capientem ultricibus armis,
Moribus ut cives et bonitate ſuos.
Occurrent varia bini virtute Wilhelmi,
Geſtaque Nasſavia ſceptra Britanna manu.
Principibus placuiſſe tribus Zulichemus, et illos
Hollanda potuit demeruiſſe fide.

Pa-

Pace ſinu ducis et media vivebat in aula,
Spargens Cecropio ſeria docta ſale.
At ſi bella ducem et rabies Hiſpana vocarent,
Caſtra etiam et lituos qui ſequeretur erat.
O quoties lentum doluit ſua villa morari,
Et procul Hagano poſſe manere ſolo:
Ille peregrinis dum late errabat in oris,
Anglìa ſive tuis, Gallia ſive tuis!
Auſoniisque, et quas longa est mora dicere, nam quae
Hugenio tellus non adeunda fuit?
Stella ſibi interea ſola cum prole relicta,
Moerebat triſtes tardius ire dies.

Sed patriae proävisque tuis dabat omnia, amicis
Multa, ſuae domui pauca, ſibique nihil.
Hugenios utinam in fidis, Gulielme, Batavis
Invenias multos tuque genusque tuum!
Sic, niſi te ſalvo, nunquam res noſtra vigebit,
Nec, niſi Nasſavia ſtirpe cadente, cadet.

P. H. Peerlkamp.

L E C T O R I.

Stirpis Hugenianae propinquos, in quibus Schonkium, virum gravisſimum, non latebat quidem, Conſtantinum Zulichemium, equitem, de vita ſua ſcripſisſe ſermones, ſuis ab eo liberis dedicatos; ſed an etiam exſtarent, aut ubi haererent, id vero omnes pariter ignorabant. Tandem fortuna quaedam inopinata Schonkio libellum objecit, et, quem quovis ſibi pretio comparandum mandaverat, nactus est exiguo. Miſit opuſculum viris doctis, in collegium adſcitis, quod, Amſtelodami regia auctoritate inſtitutum, artes ad humanitatem pertinentes egregie tuetur. Quorum quum ſermonibus celebraretur, ſumma me et amicum meum Abrahamum Vrieſium legendi cupido incesſit. Hic non aegre impetravit per fratrem Hieronymum, et vix

perlegit, quum me hortatur, ut, Schonkio non nolente, nec invitis collegii ſupra dicti ſociis, in lucem emitterem. Quod quum agitaremus, ecce Loosjeſius, novi per nos certior factus, tanta ille flagrat cupiditate de re literarum bene merendi, quam adeo quaſi ſuam gerit, Loosjeſius igitur libellum a Schonkio petit, ſuumque de eo conſilium aperit. Schonkius, qua est liberalitate, petenti MSS. copiam fecit, integrum relinquens faciendi de eo quod videretur. Loosjeſius multorum hominum cenſebat intereſſe, hoc Hollandi monumentum, variis magnisque virtutibus praeclari, non diutius intra domeſticos parietes contineri, ſed loco poni celebriore, unde ſua ſibi quisque jucunda et utilia caperet; eaque quo ad plures pertinerent, ipſe totum carmen Belgice adumbravit, mihi curam Latinae editionis commendavit; quam quare ſuſciperem, aliis licet negotiis diſtrictus, non unam cauſam mihi habere videbar. Nam ea est opuſculi ratio, ut in omnium adſpectum proferri mereatur, et mentem ac ſenſus tam obſcure ſaepe expreſſit auctor, ut etiam attente legentibus non ſtatim in oculos incurrant. Mihi certe accidit, et aliis forte accidet. Itaque meas hic partes duplicis praecipue generis eſſe judicavi; primum ut, quae Hugenius ſcripſit, ea ſine errore, ſi tamen fieri poſſet, per typos imprimenda curarem, deinde loca difficiliora illuſtrarem.

Il-

Illud quidem facile fuit factu. Nam manus illius, etiam in ultima ſenectute, adeo fuit aequabilis et elegans, ut nihil fere ſupra. Fuere propterea qui dubitarent, an haec ipſius eſſet Hugenii. Sed nondum editae ejusdem epiſtolae, eundem omnino literarum ductum et ordinem prae ſe ferentes, omnem dubitationem tollunt.

Quibus placere video, hominis manum ſaepe ingenio formari, his Hugenius illuſtre ſententiae affirmandae praebet exemplum. Qualis manus, tale ingenium. Nam, qui eum uſu cognitum habuerunt, uno ore conſentiunt, nihil in omni vita fuiſſe aequabilius nihil elegantius. — Sed alterae partes, quas mihi me ſumſiſſe dixi, paulo fuerunt difficiliores. Conſtat enim inter omnes, quorum de his rebus est judicium, dictionem Hugenii ligatam, ſive ea Belgice ſive Latine utatur, eſſe ſubobſcuram, et carmina in univerſum ſententioſa, et arguta; nec, quod Phaedrus de ſuis fabulis ait, ea ſemper ſunt, quae videntur. Decipit frons prima multos, rara mens intelligit quod interiore condidit cura angulo. De Belgicis dicere hic alienum ſit, (et fecerunt viri doctrinae laude excellentes (*) Vrieſius et Koop-

(*) *Ille in hiſtoria, ſive ut ipſe modeſtius inſcripſit, in ſpecimine hiſtoriae Poëſios Belgicae, opere egregio, Amſtel.* MDCCCX. — *Hic Exercit. Literar. Belgic.* an. 1809. *orationem inſeruit elegantem de Hugenio poëta.*

Koopmanſius,) de Latinis non item. — Aetas adoleſcentis in ea incidit tempora, quibus Romana poëſis a civibus noſtris ſummo ſtudio parique felicitate colebatur. Sed ſtudio multos aequavit, felicitate non aequavit. Quae quominus illi contingeret, non natura fuit impeditus, nam habuit eam, in quocunque genere vellet elaborare, maxime fautricem, ſed negotiis et veterum quadam imitatione, quam neſcio fere quomodo appellem, ſed non erravero certe, ſi multum diverſam ab Heinſiana, Grotiana, Franciana, Broukhuſiana aliorumque dixerim. Hi optimos enim ſibi poëtas et unum prae reliquis, eumque tamen diverſum pro diverſo carminum genere, ad imitandum proponebant. Ille omnes ſine diſcrimine. In umbra hi fere atque otio, lente feſtinantes et ſua ſaepe corrigentes, ſcribebant. Ille, quae in aula in caſtris in itinere aut aliis in locis aliud agenti in mentem veniebant, vel involabant potius, ſubito in chartam conjiciebat, parum ſollicitus de colore illo vere Romano, quem nemo nanciscatur, niſi qui tamquam in ſole, in veterum ſcriptis multum diuque verſetur et quaſi habitet; neque ſic tamen juſtam negligat meditationem. Et dicat quod quis velit, equidem nemini adoleſcentum noſtrorum, ſi qui natura ad haec ſtudia ferantur, auctor ſim, ut laudem ſibi iſta celeritate quaerant. Quod enim Apelles cuidam reſpondiſſe dicitur, qui picturam ei oſten-

oſtendens, gloriabatur ſe brevisſimo hanc tempore confeciſſe „ at hoc quidem non opus erat ut me monuiſſes" idem illud ego de plerisque ſubito effuſis carminibus uſurpare non vereor. Quid? quod iſta conſuetudo in naturam abire videtur? Abiit certe Hugenio. Nam, quos edidi, ſermones ejusdem omnino ſunt fili, cujus momenta Deſultoria. Regnat in omnibus et ſingulis tale dicendi genus, quale in aureae aetatis ſcriptis fruſtra quaeras. Accedit quod, quum Epigrammatis unice fere delectaretur, et multa ei acumina fertilitas ingenii ſuggereret, alia etiam longius arceſſeret, et frequentia ita obrueret, ut alterum alterius vim minuat. Duplices praeterea verborum ſignificationes et luſus anxie captabat, ita ut ſe in momentis Deſultoriis, judice etiam Morhofio, affectatum et frigidiorem non ſemel praebeat. Non ſum ego illorum, quos Barlaeus abeſſe jubet a Momentis, qui vitilitigatores et minutiarum anxii ſectatores ob voculae ſitum aut accentum frontem corrugant et fluctus in ſimpulo excitant, *ſed hoc mihi vere affirmare videor, Hugenium non cum eſſe ex recentioribus poëtam, qui primum locum tueri poſſit. Nec me latet quantis eum laudibus extulerint Heinſii, Francius, Broukhuſius, qui Muſaeum etiam in campis Elyſiis facit indignantem, non ſummos ſibi honores ab Hugenio creptos, ſed hoc uno funere novem Pierides fuiſſe elatas.*

Acu-

Acutius, mehercle, quam verius. Sed neſcio quomodo in hoc etiam laudis genere, quum duo faciunt idem, non faciunt idem. Ut enim virtus in pulchro corpore eſſe videtur pulchrior, ita, quo quis honoribus est amplior, hoc ſaepe ingenii illius monumenta habentur illuſtriora. Sed ſatis quidem de Hugenio poëta, quem primo loco excidentem, iniqui ſint, qui ſecundo ſtare non ferant. Meretur illud cum ob Momenta tum ſermones, (quamquam in tali carmine, ut in familiari ſermone, major licentia ſolet permitti) quibus quod ab elegantia et ſuavitate interdum deëst, abunde ſuppletur gravitate rerum. — Nam is fuit Hugenius qui a nobis praecipue Hollandis accuratius cognoſci mereatur, quam vulgo adhuc cognovimus ex ſcriptoribus a Saxio in Onomaſtico laudatis, ex quibus porro alii noſtro ſermone vitam illius compoſuerunt. Sed quis nobis imaginem vitae Hugenianae melius depingat ipſo Hugenio? Agebat, hanc ſcribens, tertium et octogeſimum annum. Eo autem aetatis provecti homines, rerum anteäctarum memoriam repetentes, integrum plerumque de nobis ipſi ferimus judicium. Neque vero omnibus, ſed ſuis de ſe liberis narravit. Sed utroque veritatis argumento majus est ſimplex ingenium et fides Hollanda, ut nec ſuas eum virtutes memorare, nec vitia ſilere puderet. Talis fuit in ſe nec minus in alios. Nam quod D'Eſtra-

de-

deſius ſcribit hominem eum fuiſſe vere Gallum, id ego cujusmodi ſit non intelligo. Quod ſi hoc nomine morum quandam intellexerit elegantiam, qua ſui cives prae reliquis nationibus florere ſibi ſemper viſi ſunt, fecit amice et Gallice, ac magnum ſane honorem habuit Hollando; ſed major est illi honos, quod iſtam morum elegantiam ſumma fide, integritate et conſtantia ornavit. — Sed haec quidem clarius ex ipſis patebunt ſermonibus. — Si qui ſint qui indignum arbitrentur, nos fecisſe, quod, ne fieret, quaſi teſtamento cavisſe ſenex videtur, his unum hoc reſpondeo, eam ad nos non pertinere voluntatem, nec ad quos pertineat, ſuperesſe. Gens enim Hugeniana, quod certis mihi auctoribus conſtat, cum Suſanna Louiſa Hugenia, ultima nominis haerede, uxore Waſſenaari Raiveni, est exſtincta. Diem illa obiit ſupremum Hagae anno ſaeculi recens elapſi quinto et octogeſimo, nullis relictis liberis. De annotatione mea nihil est quod moneam, judicium ſit penes lectorem. Quod ſi per me ſtetisſet, conjunctam cum ſermonibus edidisſem. Sed Schonkius ſpem nobis fecit magnae chartarum copiae, nuper adeo inventarum omniumque fere manus Hugenianae. Quibus quanta lux huic opuſculo poſſit affundi facile est ad conjiciendum; quod quum Loosjeſii res ferrent ut ante finem hujus anni ederetur, ego ſatius duxi et meam annotationem mecum re-

retinere, quoad promiſſis a Schonkio ſubſidiis magis commendetur. Quod brevi futurum, valde ſpero. — Harlemi Prid. Kal. Octobr. MDCCCXVII.

*

CON-

CONSTANTINI HUGENII

DE VITA PROPRIA

SERMONUM INTER LIBEROS

LIBRI DUO.

POSTERITATI MEAE MASCULAE.

Scripſit Plinius, Virgilium hortorum dotes fugisſe, quaſi rerum humilitate deterritum. L. 14. *Praef.* *Id ego cuiusmodi ſit parum intelligo. Quid enim? qui rem omnem agrestem, ipſam Bucolicam, et quae ad illam vilisſima quaeque pertinent, nec timuit nec dedignatus est heroïco carmine minutim proſequi, illi graue fuerit operae nonnihil ponere in illis terrae ſummis ornamentis, de quibus ipſa Veritas edixit,* οὐδὲ Σολομὼν ὡς ἓν τούτων; *ſi quis tamen Plinii illud ſiue judicium, ſiue obſcuram traditionem non aspernatur, quid ille, obſecro, de me ſenſurus est prae minimo veterum nullius pretii poëtastro, qui aggreſſus ſim rem rerum omnium vilisſimam, me ipſum, et huius inhonorae vitae historiolam heroïco, ſi dis placet, metro digerere, cothurno nimirum exaltare quae nec ſocco digna ſint? At me certe ſollicitum ista res non habet, ut qui haec non luci publicae destinarim, ſed ſolis vobis, et parieti*

domeſtico includenda luſerim; proinde ut hic nihil juris habeat eruditum vulgus; cuius alioqui dentem quantopere pertimescendum habeam meae conſcius mihi ἀξυνεσίας, non ignoro. Vos itaque ſolos hic alloquor; atque a ſolis postulo, ut ſi me repentem paſſim, et non usquam pro majestate carminis aſſurgentem reperitis, benignos vos cenſores detis non jam ſenili Muſae, ſed, ut hac tanta aetate, decrepitae, cui porro cum humilitate rei quantopere conflictandum fuerit, facile aeſtimabitis; quo item plus est cauſae cur tum quoque ignoſcatis, ſi qua in tenui re Majores pennas nido extendisſe videbor. *Quidquid huius erit, amate manum amantisſimi parentis, atque, ut in ipſo item carmine monui, vobis unice vindicate opusculum, cuius ad vos ſolos ratio et argumentum ſpectat.*

Hor.

Scribo Hagae, currente
tertio post octuageſimum
aetatis anno.

CON-

CONSTANTINI HUGENII

DE VITA PROPRIA

SERMONUM INTER LIBEROS

LIBER PRIMUS.

Quod fuerim terrae pondus, quam vivere, quam non
Vivere dignus eram, verſu memorare Latino
Fert animus, longumque metris includere vitae
Curriculum, heroa de non heroë, poëſi.
Barbarus ille mihi fermo est, ego barbarus illi;
Et poteram me Belga meis exponere Belgis
Aptius, et quali non infeliciter aiunt
Oblectaſſe manu et calamo popularibus orbem,
His quoque non grandis pretii committere chartis
Historiam, Batavisque loqui vernaculus autor.

Sed libet et vitam et vires expendere eodem
Carmine. Si labor, quam quis fortasse negabit,
Ipse sibi veniam dabit octogesimus uno
Auctior atque uno, qui mox effluxerit, annus.
Este procul, Pindi non nunc mea Numina, Apollo
Delie, ridiculi fontes, et inepta caballi
Ungula. Nil mihi cum larvis: melioribus uti
Auspiciis operaque monet maturior aetas,
Et, quam scripturio, vitae prope terminus, et res
Seria, mendacique procul, si quae altera, fuco.
Une deus, trinum Numen, tibi supplico soli,
Te precor hanc ipsam, quam me detexere telam
Passus es, hoc iterum calamo patiare retexi.

Natalis Annus CIↃIↃXCVI. Quinquagenari nondum patris altera proles
Mascula, cum sexto jam nonagesimus anno
Amplior ad finem saecli properaret Erasmi,
Et Caroli invicti, et Gulielmi caede nefanda
Erepti patriae Delphis paulo ante Batavis,
Dies 4 Sept. Locus. Septembreis juxta nonas novus incola mundi
Hagae nascebar. Nisi dicere sufficit, Hagae,

In-

Infinita dabo, quae nulli encomia, nulli
Jure dari conſtat de magnis urbibus urbi,
Hagae, ubi nec veterum cui vatum laude Secundus
Coeperat, heu curtae nimium, primordia vitae.
Patrem habui, matremque puer, quos dicere pergam 35. Parentes.
Non ignobilium natos de ſtirpe parentum,
Qua virtute, ſciunt, quibus est modo relliqua mecum
Vita ſuperſtitibus; ſciuit Respublica, ab ortu,
Testibus Auriacis, opera patris uſa ministri.
Anniculum letho jam nunc custodia caeli 40. Infantiae periculum.
Eripuit, properansque pater, qui forte per arctos
Ferri cancellos, quibus obſepire caminos
Mos matrum est, caput infertum, quod adurere flamma
Coeperat, evulſit, fratris non voce diſerta,
Sed muto monitus nutu lachrimisque puelli. 45.
Fandi paene potens coepi praecenta biennis Cantillatio.
Carmina cantillare; et erant, hoc omine qui me
Muſarum fieri ſperarent posſe clientem.
Firmavit res ipſa fidem: quinquennis in omni
Concentu primus vel eram, καὶ ἔξοχος ἄλλων, 50. Cantio muſica.

Vel quia tum puero plaudentibus esse videbar.

Barbitus. Barbitus accesit, cuius me saepe peritum
Paucarum hebdomadum audivi fecisse laborem.

Lingua Gallica sub Brouarto. Gallicus hinc sermo est, anni, praeëunte Brouarto,
Imbititus spacio, ut quasi jam vernaculus esset.
Sic et ab unguiculis quavis (nisi cura parentum
Deficiat) sese sinit ima infantia duci.
Quippe ego, si mihi quid praeter mediocris honorem
Ingenii adscribam, merear vaesanus haberi.

Cithara. Septennem citharae totum impendisse biennî
Tempus adhuc doleo. Quid enim? quae prima necesse est
Tirones elementa manuductore doceri,
Qua mercede iuvat toties totiesque molesto
Jamque supervacuo sub praeceptore recudi?
Sufficit una eademque pares ad regula motus.
Exerce digitos dudum sua munera doctos;
Invenient agiles ipsi, monstrante papyro,
Quos quibus imponas fidibus, quas pollice dextro
Percutias, habitu sensim studioque magistris.

Studia Latina. His adolescentem nugis maiora doceri

Com-

Commonuit properans decurrere ſeptimus annus.
Tempus erat Latii fines inviſere, et omnes,
Quas niſi Romano miſeri non diſcimus, artes
Eloquio comptas: quaſi nempe ſcientia rerum
Heic ubi nec nata eſt, Romae defoſſa lateret.
Nec ſaperet, niſi qui ſapiat virtute Latina.
Invaſit tamen illa lues, cruciatque premitque
Dura juventutem ſub pondere ſuſpirantem.
Scilicet a primis vagitibus unus et alter
Suffecit, quibus infantem vernacula mater
Verbula, et his blande ſenſim garrire doceret:
Et vanus fuit iste labor: nihil hactenus actum est
Ut probus, ut fortis fiat puer, Italus eſſe
Cogitur, et linguae totum ſe tradere, cuius
Ipſa domi fontem male perdidit Itala tellus.
Et mos imperium est: huic ſeſe opponere quisquis
Imperio tentat, vano conamine frustra est.
Quid facias? ſi ſic rapidi ruat unda fluenti.
Certe aliqua excuſat ſapientem publicus error,
Nec feriunt mala communis convicia culpae.

Sub Joanne Dedelio.

Ergo jugum ſubii, et quo me de carcere, qua de
Compede non niſi longa dies exſoluere poſſet,
Dedelio praeceptori commisſus inivi.
Hoc duce, quid Muſam mihi declinare doceri
Poëſios clementa. Proficit? en ipſam nondum declino, nec omni
Declinaturus videor qua vixero vita.
Quippe rudis tiro et nondum tria ſana Latine
Jungere verba potens, coepi inſanire, pedesque
Metiri digitis et ineptum cudere carmen.
Quo furor hic tandem venae proruperit, ecce
Patria, quam nugis implebam ſaepe canoris,
Testis erit, multaeque nimis jactura papyri.
Nec tamen hisce dies totos inſumere, totas
Rhetorica. Nec ratio patiebatur male perdere noctes.
Pluris erat Cicero, pluris facundia ſaecli
Aurea, qua veterum tonuerunt ora Quiritum.
His bona paulatim conabar verba magistris
Effari, et patriae vitium detergere linguae.
Et jam rhetor eram, ſine lapſu paene, Latinus.
Innocuos defendebam, patronus egenti,

In-

Infenſus latrociniis, in crimina durus
Orator. Laudes etiam atque encomia large
Demonſtrativus, violasque et lilia plenis
Fundebam calathis, quoties cum Quinctiliano
Fronte nova vultum Proteus mutare jubebar,
Omnimodaque puer genium exercere palaeſtra.
Opportuna ſub ista ſcholae certamina venit — Logica.
Suppetias latum oranti, quae ſolvere nodos
Ars docet ingenii et verum ratione tueri:
Opportunus item qui tum novus advena Vorſti
Dogmata controverſurus poscebat agona — Et ſub Georgio Eglizemio.
Publicum Eglizemius, Scotiae famoſus athleta.
Trador huic ſub Dedelio ductore, virumque
Audio Ariſtotele gravidum, fortem atque ferocem.
Menſibus hanc aliquot cramben faxique voluti
Taedia perpeſſus, didici quae diſcere poſſit,
Qui ſeſe, Molinaee, tibi logicotate, ſoli
Dedat, et anteferat longis compendia tricis.
Jamque per abſtruſas rerum caelique ſolique — Philoſophia Phyſica.
Ducebar cauſas: quas ut de fonte Stagirae

Pu-

Purius haurirem, (nondum Carteſius auctor
Luce nova fucum vero detraxerat) alter
Lingua Graeca. Ecce labor ſudorque, novum maris aequor arandum;
Pro ſuperi! Latio non inclementius aequor.
Infima cogebar puer ad ſubſellia labi
Denuo, et in ſpinis animam cruciare Pelasgis.
Succesſit currente rota labor improbus; et jam
Etiam Poëſis. Graeculus audiri, neque et hoc ſine carmine, coepi;
Unde voluptati cedebant taedia; ut illa
Durat ad hanc ſummam non interrupta ſenectam.
Hisce novis quaſi munitus puer Icarus alis,
Altius evexi juvenilem tiro volatum.
Nec ſat erat veterum aligero peragraſſe Quiritum
Gesta, nec in verbis operam poſuiſſe Latinis;
Extera me Venus excivit; moviſtis Athenae
Atticae, et ut vestro totum me fervidus auro
Proluerem, ſuaſit lepor et facundia gentis.
Omnium armorum uſus. Interea ne de mediis neglectior horis
Hora ſine fructu ſine cultu lapſa periret,
Arma quoque et gladios et pugnae umbratilis artes

Ar-

Arripui. Nam ſolliciti prudentia patris
Haec fuit, ingenii ut vires formantur agendo,
Corpora non male natorum fas eſſe doceri
Ingenuos motus et cum ratione decoros,
Ut vel inutilium conſtet ratioque modusque;
Nempe mihi quorſum gladii, quo pulvere praegnans
Machina ſulphureo, niſi quem defenſio ferri
Innocuum, ſi ſic caſus ferat, exigat uſum.
Militiae nec votus eram, nec deditus; unis
A teneris accingebar ſub Apolline Muſis.
In patria tamen aſſiduis terraque marique
Fumanti bellis, et in hoſtem ſaepe ruenti,
Saepe repellenti infeſtum victricibus armis,
Arma quis ignoret? quis quos Mauritius ingens
Militiae ratione modos legesque Batavis
Praeſcripſit, civem tulerit neſcire Batavum?
Nec ſat erat peditem patriae formaſſe parenti. Equitatio.
Imponendus equo ſub praeceptore videbar,
Qui teneros artus obiter motusque ſitumque
Non inconcinnos blanda ratione doceret.

Non ut equum ſtudio ſtudiis melioribus (ut ſit,
Et male prudentum ſinit indulgentia patrum)
Muſarumque ſacris quicquam decedere poſſet;
Sed ne ridiculis, a conſuetudine prava,
Moribus imbutus, ſi quando occaſio ferret,
Ludibrio fierem paribus male tiro peritis.

Saltatio.

Par patrem ratio movit, qua ſcire venustum
In choreis variare pedem geſtusque docendum
Corporis egregios cuperet praeitore magistro.
Scilicet ad mores non haec inſania tantum
Non facit ingenuos; ſed amorem ludicra recti
Regula conciliat, et non fallentis honesti, et
Ordinis et juſti; et quantum concordia praeſtet
Confuſis ſine lege, docet. Quae gratia nempe
Conſona compoſite ſalientis ad organa, tale est
Quod ratio regit in rebus moderamen agendis.

Saltus, lucta.

Hos inter luſus porro ſaltuque levique,
Non nimis intenta, luctae vi membra docebar

Per glaciem curſus.

Exercere, nec hybernos neſcire Batavûm
Ferrato pede per glaciei ſtrata natatus,

Nec

Nec ſatis hoc itidem patri, praevertere curſu
Me veloce pares: motu ingenuo atque decoro
Juſſit agi, qua laude puer praeſtare ferebar.
Pluris erat longe, ſi me meliore natatu — Natatio.
Vectus aqua ſuſtentasſem: nec defuit ille — 195.
Tentatus mihi ſaepe labor, ſed ſemper inanis
Noluit hoc uno de me natura mereri:
Sive parum pulmone valens, ſeu viribus impar,
Spem patris hoc aeger ſtudio et mea vota fefelli:
Neſcio naufragus et ſummo in diſcrimine quot me — 200.
Eriperem letho ſtadiis vel pasſibus, at non
Sex totos lato bene ſufficerem Helleſponto,
Quando natatorem Seston Venus ipſa vocaret.
Deerat adhuc oculos informatura poëſi — Pictoria.
Germane cognata ſoror, pictura; videndi — 205.
Simpliciter quam, ſed proprie, quis dixerit artem,
Cuius inexpertos equidem vix cenſeo totos
Humanos homines; caecos pronuncio, caecos;
Nec caeli, maris aut terrae mage ſpectatores,
Quam quae demisſo paſcunt animalia vultu. — 210.

Quae

Quae cernunt male diſcernunt; dimenſio pulchrum
Quid faciat, quae, quid rerum proportio, qua ſe
Inſignem ſpecie faciat color, aut ſtatus, aut res.
Quis tabulae prope putris honor, qua laude vetustos
Artifices praeſtare novis res ipſa revincat,
Omnia ſunt illis tenebrae aut caligo; peritis,
Obvia, et hac ipſa qua lucet luce diei
Non obſcura magis. Non haec neſcire ſuopte
Exemplo poterat longe pater optimus, ipſe
Artis inexpertus; ſed quanti ſcire ſuorum
Cenſeret referre, pares quos inter honestosque
Et rerum non ignaros optabat amari.

Calami. Hondius hic primus dextram fratrisque meamque
Erudiit: non ille quidem nostratium Apelles
Praecipuus; ſed principiis tironibus aptus
Sic praelibandis, ut, qui maiora docerent,
Maiores ſua non rudibus praecepta magistri
Inſtillare levi pueris conamine poſſent.
Jamque manu non indocili quos Goltzius olim
Aere ſuo duraturos cum ſole labores

Ex-

Excudit, cretave nigra cretave rubenti,
Vel calamo promptus tam non male reddere coepi,
Ut, ſi forte patris juſſa, aut fortuna tuliſſet,
Huic operam dando, ſpretis majoribus, arti,
Crederer in modicis aliqua cum laude futurus.
Scilicet et minii ſtudium ſubtile quod est a — Miniatura.
Nomine, et exiguis jam non ignobile punctis,
Cuique ſuam tandem, non aerea, Pallas olivam
Commodat, aeternaque docet ſplendere juventa — Colore oleato.
Occiduos olim non longa aetate colores,
Conatus ſenſere meos, et forſan amicos
Inter adhuc ſuperant primi vestigia facti.
Haec inter complura, patri manifesta parerga, — Matheſis clam patre.
Una ſenem latuit fallax induſtria. Ne quid
Oti ſubriperem penſo tum nempe diurno,
Neu minus historiis Latiis Graecisque vacarem:
Noluerat me adſcititio indulgere labori.
Subripui tamen, et jucunda fraude fefelli.
Quique matheſeos a teneris inſederat ardor,
Expleui tacitus: fuit haec mihi charta, fritillus,

Et pila, et ingenuis a moribus alea discors.

Noctibus hic ipsis aliquid decidere juuit,

Extensaque die, quas somnus perderet horas

Applicuisse rei propero pede conficiendae.

Arithmetica sub Samuele Clotio.

Confeci: cum jam numeros abacumque logistae

(Quo sine vana geometriae documenta fuissent

Intempestivusque labor) mihi maximus olim

Tradiderat Clotius facili molimine, paucis

Ratio Mercatoria.

Hebdomadis: ut jam nec Mercatoria prorsus

Me fugeret ratio rationum, aut Amstelodami

Insatiabilis in libris mysteria Pluti.

Jamque adeo Euclidis commercia clandestina

Cum puero non sustinuit culpare parentum

Optimus; ut prope, quas pro spreto reddere grates

Mandato nollet, pensaret laude paterna,

Fallentemque magis, quam si non falsus, amaret.

Principis Ludovicae Coliniacae favor et benevolentia.

Hac aetate mihi quicquam si ducere laudi

Fas erat, illud erat certe, quod maxima mater

Henrici Colinea suo me amplexa favore est,

Tum puerum rerumque rudem se visere jussit

Sae-

Saepius, audiuit, pasſa est, conſtanter amauit,
Illa ſui ſexus dium decus, illa parentis
Gaspari (quem quis neſcit, cui Gallia lecta est,
Et regni pudor aeternus, laniena ſuorum?)
Filia, bis coniux, geminis orbata maritis,
Utrique infanda ſublato caede ſuperſtes.
Saepius, illa ſuo, dixi, de culmine tanto
Alloquiis contenta meis deſcenderit, illa!
Hei, quis ego, quid eram? niſi quod, quae tempore longo
Hugenium affectu patrem dilexerat, hujus
Non nihil haeredi voluit debere videri
Dedelium tandem, cujus quae ſcribo loquorque
Longis aſſiduis et amicis debeo curis,
Septennis labor abſoluit. Sibi redditus ille,
Quod non deſierat ſtudium protrudere nostris
Intentus, lauro inſignis promouit ad alti
Culminis, et quo nil dat patria majus, honorem
Praeſidis in Batavis merito nomenque decusque
Geſsit, et ad ſummae poſsedit tempora vitae
Jamque dies aderant, queis me de pulvere primo

Dedelii diſcesſus.

Juris cle-

menta ſub ſenatore J Zuerio avunculo.

Mauritio cum fratre ſimul maturior aetas
Excibat, mentisque vigor majora volutans,
Quo dignus patria ciuis, nec inutilis olim
Sarcina cenſerer, propius ſpectare monebat.
Huc aſpiranti breuior quae duceret illo
Caeſarei via juris erat. Accingor, et iſti
Jam quoque curriculo contentis viribus inſto.
Gratia ſit tibi, ſancte ſenex, tibi docte Zuëri,
Quo nihil in terris nec candidius nec amari
Dignius enixa est rerum natura, ſenator
Optime, qui puero, praeceptor avunculus, ultro
Hanc operam, vir amice, dabas, tu primus ad alta
Tironem Themidos duxti penetralia, primus
Horridulas illas docuisti evadere ſpinas.

In Academiam ingreſſus.

His praemunitum, quantum res poſcere viſa est,
Principiis, cum jam vasti, quem regula juris
Occupat e multis titulum, et qui nomina rerum
Singula ſignificat, bene menti impreſſa ſederent;
(Suaſerat hoc praeconſulti ſapientia Groti)
Et quae Caeſareus potiora quaternio paucis

Tra-

Tradidit, imbutus cum ſucco et ſanguine ſcirem;
A patrio tandem juſſit pater eſſe ſalino
Et prope florentes Batavas inviſere Athenas.
Hac in luce pares inter, quo ſe aemula virtus
Excitat ingenii, totum jucundius annum
Exegi, quam quemquam alium vixiſſe recordor,
Heinſiadae, quae duravit dum vita remanſit,
Uſus amicitia; qualem cum prole paternae
Virtutis geniique exerceo digno haerede;
Cujus et hic eſto, vitae qui terminus, idem.
Tum, quae ſumma fuit Leidam mihi cauſa videndi
Intentus legum ſalebris, conſtanter adhaeſi
Magnis aure viris, et quarum publica nodos
Lectio mollierat, pleno de rumine mecum
Ipſe remandebam; dum, quam finiverat arcto
Limite in urbe moram blandi impatientia patris,
(Ille ſuorum aegre tantilla parte carebat)
Sedulitate mea, quantum pote, protelabam.
Paucos nempe dies qui vixerit, impiger horas
Non paucas potuit paucis vixiſſe diebus.

Sic properans (ſemper Muſis et Apolline ſaluo,
Si quid verſiculi raperent, ſeu Muſicus otî
Concentus, citharaeve ſodales inter amatae
Sollicitata fides, volucri ſeu barbitus arcu
Tinnula, ſeu ferreis crepitantia cymbala chordis,
Artibus hac pridem adjuncta nugacibus arte)
Sic properans, jam fratre domum ad majora vocato,
Quem pater ad patrios uſu formaret honores,
Cujus et haeredem moriens cum laude reliquit,
Solus ego ſpecimen ſtudiorum rite daturus,
Quamque breuis labor et ſudor profecerat anni,
Reſtiti; et arte operaque mea, non ullius, ut fit,
Diſputatio publica de Fidejuſſoribus. Quo ſe jure Fidejuſſor, qua lege ligatum
Agnoſcat, qua contendat ratione ſolutum,
Expono tabulis; quales Academia valuis
Praefigi jubet, inſtantis praemiſſa duelli
Indicia et laetae currentis ad arma juventae,
Praeſcripta lucente die, certamen iniui,
Concurſu patris et patrum, grandique corona
Auditorum et athletarum turgente lyceo:

Quo

Quo plauſu rem geſſerimus, ſine testibus abſit
Dicere me de me. Pro res mortalium inanes
Et nihili! vix dum bene ſexageſimus anni
Circulus exiuit, de tot mihi teſtibus unum
In vivis video: populus quid relliquus? umbra est.
At Swanenburgi ſaltem ſi vita ſuperſtes,
Ille ſui certe quam vix adjutus opella
Praeſidii, non turbato certamine vultu
Palluerim Lugdunenſem quaſi rhetor ad aram,
Ille fateretur venerando candidus ore.
Victor, compoſito ſermone, ſodalibus, urbi,
Civibus, et meritis de me doctoribus aegra
Mente vale dixi, felicia quaeque precatus, Leida deceſſus.
Post epulas, quas iſta fere ſolennia poſcunt,
Egreſſus chara aeterno mihi nomine Leida
Ad patrios una redii cum patre penates,
Nec postliminio matri ingratiſſimus hoſpes.
Mox clamoſa fori captans commercia Leidae
Imbibitam juris justique fideliter artem
Exercere frequens auditor, imagini et umbris

Hactenus intentus, veris ad ſeria pugnis
Inſtruor, et non jam vano certamine paſcor.

Peregrinatio.

Auctior octavo decimus mirabilis annus
Ibat, ubi primos non infeliciter ipſe
Emenſus, monitu barbae ſubeuntis ephebus
Altius intendi juvenilibus aethera pennis
Findere, et egreſſus, lictis post terga Batavis,
Externos hominum mores inviſere et urbes.
Hanc veniam pater indulſit, cui conſcia honeſti

In Angliam prima.

Ambitio non diſplicuit: vicina Britannûm
Littora decrevit primo tentamine adiri.
Huc curſus fuit; hic duce Carletone Britanno
Ad patriae proceres legato pene perenni, et
Nomine non uno Hugeniis, neque nuper, amico,
Littus amaenum adii; queis tum feliciter oris
Maximus imperio, doctrina major, in alta
Pace pater patriae tria ſolus ſceptra tenebat,
Una fronte triplex geſtans diadema, Jacobus.
Mox ad amica diu grandaevi tecta Carontis
Advena non ingratus eo, exceptusque ſenili

Amplexu totum veluti cum patre trimestre
Suaviter exegi; et, tacito velut incremento
Nec perceptibili ſurgunt molimine plantae,
Non intellecto ſenſi me neſcius auctu
Difficilis linguae facilem, pro tempore, lexin
Adſciviſe; uti jam populo nec barbarus eſſe,
Nec procul a genio regionis abeſſe viderer:
Tanti erat in patria primis elementa figuris
Indagaſſe rei peregre melius peragendae.
Inchoët hoc ſtudium a libris, praeëunte magistro,
Cui via diſcendi brevis ac tutiſſima cordi est.
Juvit et Oxonii ſacros inviſere colles — Excurſus Oxonium.
(Metkerko duce, Braſſerio ſuavi comite, et qui
Geiniades famae obſtruxit cum laude paternae)
Et pluteos, Bodleie, tuos, et millibus iſtis
Millia librorum generoſis addita donis,
Regalesque domos, quae, quot Collegia, gratis
Occupat incumbens ſtudiis bene nata juventus.
Woodſtochium porro, qui ſuſpirantis Elizae — Woodſtochium.
Carcer erat, dura ſceptri potiunte Maria,

Viſere nos et fama loci et vicinia ſuaſit.
Vidimus antiquis nondum conſumpta feneſtris
Augustae monumenta manus, et flebile carmen,
Sollicito carmen miſerae de pectore fuſum;
Dum ſors atra ſecurim, ſors minus atra ſecures
Promittebat, et in geminas regale coronas
Imperium; quo functa ſupra ſexumque virosque
Virginea vitam cum majestate peregit.
Quae de fonte vetus Roſamundae fabula plebi
Narrat, et hisce locis quaſi daedaleo labyrintho,
Sprevimus, et quibus iſta vacat confundere veris,
Non invidimus: Oxonio ſed pone relicto
Windſorium mox et Theobaldi abſcendimus arces,
Regia, pyramidum et tantum non invida ſaxa
Saxis Memphi tuis, certe nec inutile pondus
Indignantis humi, at magnorum habitacula regum,
At dominis, quam grata, ſimul tam digna Britannis.
Londinum reduci ſubiit novus ardor, ad ipſi
Oxonio non diſſimilem, vix inferiorem
Cantabri- Germanam Cantabrigiam procurrere. Nactus

Hei-

Heidonum comitem atque ducem, qui taedia longae
Fallebat ſermone viae, ſermone diſerti
Oris et in rebus regni patriaeque periti.
Nomine gaudebam duplici; dum duplice fructu
Quae cuperem attentis oculisque atque auribus hauſi.
O mihi non auro contra commercia puro
Chara, nec ex animo vel adhuc expuncta ſenili!
Quanti erat, hiſtoriam Henrici tam teſte fideli
Scire, ſpei ſummae regni decorisque Britanni!
Heu! miſerande puer, quae te fata aſpera ſceptris
Invidere tuis, primo qui flore juventae
Jam Marcellus eras? His me humaniſſimus ille
Congerro Cantabrigiae de tramite recto
Colloquiis, non fraude mala, ſeduxit amicum,
Inque Audleiano incautum ſubſiſtere castro
(Quanto marmore, dii ſuperi, qua mole ſuperbo!)
Juſſit: ubi hoſpitio exceptum Suffolcius heros,
Quantis non poteram in Batavis et ſede paterna
Officiis devinciri, devinxit, et omnes
Intendit nervos, ne qua properantior hoſpes

giam comite Illustri Guil. Heidon. Eq.

Audleyend.

Effugerem: tanta est generoſi ſanguinis ortu
Gratia, tanta est ingeniti compunctio honeſti.
Una defunctus placida cum nocte quiete,
Magnificos inter lecto ſplendente tapetes,
Tandem exoranti venia vix impetrata,
Heidono comitante, velut jam prima monebat
Cauſa viae, Cantabrigiam lustrare citatis
Adproperamus equis. Ibi ego, quibus ardua tectis
Tota micat, totidem rurſus palatia regum
Obſtupui ſpectans; et ſi ſatis omnibus otî
Suppetiiſſet, ad unum omnes ambire parabam
Muſarum charitumque domos, venerandaque ſacra.
Sed monuit ratio rationem denique habendam
Ingenui comitis, longa qui compede tandem
Exolvendus erat. Libet hic memorare, ſiniſtram
Pugnanti quondam gladio breviore reciſam
Spectata virtute viro, ſed fraude maligna
Opreſſo inſidiis: quod iter facientibus una
Ille mihi mancus menſaque ſedentibus una
Tam lepide texit vitium, ut niſi candidus ipſe

Rem

Rem retulisset, utraque manu pollere putasfem:
Ferrea succurrit mutilo manus; illius apte
Motibus officium ablatae praestare sinistrae
Usu doctus erat, usuque habitudine parta.
Ad Tamesin reduces secessimus, ille mea non
Maestus amicitia, ut prae se, de more, ferebat,
Comis ego comitis tam consuetudine blanda
Laetus et erecta, et praeclaro stemmate digna.
Inde quibus potui officiis ipsumque suosque
Heidonios hic nempe duos, par nobile fratrum,
Demerui, utrique in Batavis dum vita superstes,
Turpius ingrati non censens crimine crimen,
Quod (catulos odisse parum est) odere leones.
Nondum plena mihi satias te perspiciendi
Venerat, imperii facies augusta Britanni.
Maxima restabant. Summo innotescere regum
Hospes adoratamque manum contingere avebam.
Applausit fortuna favens: aptissima votis
Horas captandi faciles occasio nata est.
Praediolum ruri vivariis fertile plenis

475. Londinum redux.

480.

485.

490.

Bagſchot. Caronti regale meo pro tempore vitae
Obtigerat munus; quo ſe Rex ipſe quotannis
Princeps venator, cum venatoribus aulae
Principibus delaſatum prodire ſolebat:
Prodiit, auguſtaeque caſae triduum majeſtas
Ad Jacobum regem admiſſio. Includi ſe paſa, mihi et juvenilibus aurem
Praebuit alloquiis. Citharae quin tendere nervos
(Quanta boni in Batavos regis clementia!) juſſit,
Applauſitque pari nugis candore canoris.
Amici Londinenſes. De Burlamachia, qua multum utebar amica,
Stirpe Calandrinae innexa, nihil addere malo,
Quam, ſi defungar paucis, ingratus haberi.
Tantis tota domus peregrinum obſtrinxit amoris
Teſtibus officiis. Proprio tibi nomine, Caeſar
Optime, quam devinctus eram! quod grandis amici
M. Antonii de Dominis, amicitia et conſuetudo. Participem faceres, Spalatorum praeſulis olim,
Incana gravitate ſenis, qui tum ore diſerto
Italicum ſymmyſta tibi paſcebat ouile.
Noster eras, venerande ſenex, deliria Romae
Exſpueras, ſacra verae vi lucis adactus:

Noster eras, miſerande: quid ad vomitum recidivus,
Qua mercede retro labi, portentaque per te
Erroris debellati defendere viſum est?
Quae fuit illa tuae ratio praepostera mentis,
Quae fuit, ut nil diſſimulem, vaeſania, Romae,
Offenſae toties nondum diffidere Romae?
Hei mihi, poſſe ſenem tantum pueraſcere, tantum
Caecutire animum caelesti luce coruſcum?
Optime de Dominis; poenas ſi forte dediſti
Imprudentiae et erroris mortalibus aegris,
Mitius aeternum precor experiare tribunal.

In patriam reditus.

Omnibus ex voto tandem laeteque peractis,
Dum patriam inquiro qua tempeſtate reviſam
Tutius, et quanam vectus rate, quo comitatu,
Occurrunt, quibus antiquae provincia Dortae
Ad ſynodum mandata fuit, pietate celebres
Doctrinaque viri: his placuit, nec ſaepe rogatis,
Adſciri Batavum comitem ſibi non alienum
A ſtudiis ſacrisque ſuis, licet impare cultu.
Haec quoque Caronti debetur gratia, de me

Sollicito, donec patriis bene ſiſterer oris.
Nobilis hoſpes, amande ſenex, quas reddere vivo
Non potui dignas meritis, ſine post tua fata
Reddere non mecum morituro carmine grates.
Solvimus a Tameſi, retro cedentibus undis,
Languiduloque mari, flatu tamen usque ſecundo;
Mattiacis nox altera nos advexit arenis.
Exceptos ſermone patres urbs magna Latino
Middelburga ſuis ad littora nostra phaſelis
Deduci curavit. Ego non ſegnius Hagam
Aduolo; ubi laetos, firmos, vegetosque parentes
In ſarta tectaque domo, et cum fratre ſorores
Amplexus, laudem ſuperis de pectore grato
Accinui; annoſoque patri, pro foenore ſortis
Non male depoſitae, retuli quae vespere largo
Noctibus adſcitis auri blandae atque paternae
Digna videbantur: placuit discrimine functo,
Qua defunctus erat, auſis juvenilibus, urbis
Historiam percontari, ſortemque, ſtatumque,
Ambagesque alias; et quam vilisſimus hoſpes

Non

Non fueram genti geniisque audire Britannis.
Me tetigit vulgo non intellecta ſupinis
Ingeniis, ſaturisque domi dulcedine longa,
Haga, tuum decus, Haga meum: pulcherrimus orbis
Qua fulget, nihil est quo ſe tibi comparet: O flos
Florentis patriae, liceat florere quietae,
Ignotumque diu ſummoto Marte furorem,
Ignotasque diu Batavis neſcire ruinas.
Jam frater collega patri, patiente ſenatu,
Coeperat in procerum calamo feliciter uti
Ordinibus, feſſoque ſeni ſuccurrere, ſcires
Muneris haeredem, ſuperet modo vita, futurum;
Me vaga fortunae facies incertaque rerum,
Qua post hac patriae civis nec inutilis eſſem
Nec gravis, in varias circumſpectare monebant
Ambiguum partes. Dum labitur annus, et alter
Incipit ire novus, qua non mihi gratior ulla
Luxerat orta die, caſu me inopina beatum
Occupat. Arſenium (quantum, Reſpublica, nomen,
Quantum, terra Batava, tuo de lumine lumen?

Iter Venetum, cum legato Franc. Arſenio Someldicio.

Arsenium proceres legati munere et usu
Pro patrio doctum peregrinos ferre labores,
Ad Venetos legare patres hoc vere parabant;
Foederis aeterni vincturum legibus, ingens
Marce, tuum et nostros septemplice Marte Leones.
Ivit et egregia juvenum stipante caterua,
Me quoque cum comitem adsciuit, tum rebus agendis
Utibilem fortasse manu linguisque ministrum.
Ibat ad egressum Maio cessurus Aprilis,
Cum currente rota e Batavis ad moenia vectis
Grandis Agrippinae, aduerso Moguntia Rheno
Nauibus accessa est et Francofortia Maeno;
Post Heidelbergae clivum et campestria rursus
Et passim nemorosa citis emensa quadrigis,
Per Wittembergae saltus, Rothburgium, et alma
Famosam late Musarum sede Tubingam,
Dutlingam immensi vicinam fontibus Istri
Venimus. O si quid reliquum properantibus oti
Suppetiisset, ut illa meum recreasset origo
Fluminis aspectum, soli quod cedere Nil

Di-

Dicitur ambigue et nondum ratione ſubacta!)
Heluetiam mox Schaphauſam, et rapidum cataracten
Tum Tigurum, multoque lacum diſcrimine, multis
Inſamem ſcopulis et multo turbine Waldam
Vidimus: hic, ubi montanos ſtat Churia Rhoetos
Jure regens patrio, et prope ſaxis horrida Spluga,
Coepimus ad Rheni fontes adſcendere. Fontes
Magnifici, et, ſi non mentitur fama, bicornes;
Vos quoque, ſi licuiſet, ego per ſaxa niuesque
Quanto animi feruore libens et promptus adiſem!
Non licuit. Superandus erat conamine longo,
Duro, difficili, caput inter frigida condens
Nubila mons. Dum conamur peditesque equitesque
Ardua anhelantes praerupta angusta viarum
Ereptare, mihi (nolo celare juventae
Stultitiam, exemplo cuiquam, ſi forte, futuram)
Accidit, et comiti res non indigna relatu.
Montis erat dorſum, tam praecipitique citoque
Deſcenſu, ut, cum paene gelu cryſtallinon eſſet,
Frigore durata noctei niue, figere ſtanti

In monte Spluga deſcenſus praeceps.

Non ſineret glacies erecto corpore plantam.
Cum tamen in vallem brevis hac via, et altera longo
Amfractu peragranda foret, ſuadentibus ipſo
Arſenio, et, quibus innixus de vertice ſummo
Tutius et ſenſim deſcenderat ipſe, colonis;
Confideo, ſocium Lindana ſtirpe, ſecutus,
Magnanimum juvenem; ſed cui metus ac tremor artus
Concuſſere novi, modico trepidare tumultu
Inſolitos: horum ignarus, qui pone ſequebar,
Nec potis attonitum a tergo dignoſcere vultum;
Mox ubi me ſenſi velut actum turbine, et, inquam,
Fulminis inſtar agi, nec jam calcaria raptum
Siſtere, nec nitentem obuerſis punctibus enſem,
Sulfureo mihi de tormento exiſſe videbar:
Jamque nec Icarius noſtro par eſſe volatus,
Sed miſeri lapſus pueri de ſole propinquo:
Sic oculis caliganti vix luminis uſu
Relliquo, et in gyros verſo vertigine viſo
Monte, parum compos mentis, tamen obuia quaeque
Saxa timeſcebam, et fugere et vitare ſtudebam.

Fu-

Fugi, vitaui felix; tum ruſtica turba
Praecipitem ambabus ridens amplectitur ulnis
Arſenio curante: equidem ridentibus, inquam,
Parcius arridens, aliena pericula cautum
Hic faciant, nec amare jocos diſcrimine amaros.
Elapſi Splugae longis horroribus, almo
Aëre Clauennae et Meirae torrentibus undis
Gauiſi; te deinde, meo Comane Secundo
Clare lacus, viſo curſim. Tellinia tempe
Ingreſſi per Morbenias crudelius alpes
Frigore vexati, nive concreta, nive molli,
Infida glacie, tonitru inter nubila, denſis,
Perpetua eclipſi confuſo ſole, pruinis;
Attigimus tandem feſſi laetique ſupremum
Culmen et augusto clarum cognomine Marci
Nempe Caſam; caſula est aeternis nubibus, omni
Peruia ventorum, pluviae niviumque procellae.
Hinc non tam facili certe quam fertur Averni
Deſcenſus, tamen est lente deſcendere coeptum;
Nec grave quid potuit paſſis graviora videri

Caſa St. Marco, ditionis Venetae initium.

Italiam, Italiam jam nunc intrantibus. O qua
Italiae feſſos facies aeſtiva beavit
Laetitia, hyberno nuper torpore rigentes!
Quam pulchro jucunda fuit Cenomania tractu,
Bergoma quam placuit, quam Brixia, quam Veronae
Romana tantum, ſi forte, minor majeſtas,
Quam tu, vel fremitu ſurgens Benace marino,
(His etiam nobis te fluctibus oſtentabas,
Quam ſubita excepit placido pellacia Ponto)
Quam tu magnifico turgens Vicentia luxu,
Denique quam clarae Patavinae Palladis arces!
Nomina ſufficiat ſtrictim tetigiſſe locorum:
Singula legato dederint, quot ſingula ſignis
Laetitiae adventum fuerint gratata, quod omnis
Foedere cum Batavis feriundo laeta juventus,
Quanto publica ſplenduerint convivia luxu,
Omnia ſi referam, bis agam, calamo juvenili
Hoc ipſum per iter quod me feciſſe, ſuperſtes
Gallica teſtatur post me victura papyrus.
Jam nos ad Venetas fulgentibus aurea ripis

Diarium itineris Gallici a me conſcriptum.

Prae-

Praecipiti cymba perduxit Brenta lacunas;
Jamque diem ferum tenebris velare paranti
Nocte, maris magni magnam caput imus ad Urbem.
O Urbem! o de qua quidquid conamur, ineptum est
Dicere, cui vel dedecori ſit maxima laudum,
Da veniam de te tali tantaque ſilenti
Hugenio, et quo te juvenem feriiſſe ſtupore,
Quaeque oculis tenebrae per tantum lumen obortae, Ovid. 2. Met. 181.
Non es neſcia, crede ſenem non deſtupuiſſe.
Miſſus ego ad ſummi imperii tum ſceptra tenentem,
Mente ſenem mentoque gravi vultuque verendo,
Purpurea aurato in ſolio ſub veste ſedentem,
Accedo patrioque ipſi ſermone ſaluto,
Jamque diem rogo deſignet, quoque ordine in urbem
Legatum recipi ſtatuat, quam deſtinet horam
Publica in illustri facturo verba ſenatu:
Ille ſerenato vultu me amplexus, et omne
Comiter officium ſpondens, qui a regibus, inquit,
Ad Venetos miſſis ſolenni more ministris
Summus habetur honor, ſummum, confidite, veſtro

Deferri placitum est: faciet Reſpublica, quanto
Vestra ſit in pretio hic, quanti nova foedera, quanti
Jam veluti Batavo conterminus Adria Rheno,
Fama ſciat, totique ſciens enunciet orbi.

St. Georgio d'Aliga. Implevit promiſſa ſenex. Jam ſolis ab ortu
Post biduum egreſſos urbem, et cui nomen ab Alga
Coenobio exceptos, augusta claſſe ſecuta est
Nobilis ac toto collucens purpura ponto.
Sex decies advecta ſcaphis ſub remige duplo
Comiter obuia legato: dictaque ſalute,
Quem ſibi quisque legit comitem, de more ſinistrum
Collocat: ille locus cymbae depreſſior, ille
Commodior datur hoſpitibus, dextram hoſpitis hoſpes
Occupat. Hoc tanto comitatu findimus undam
Remigio, magnamque citi properamus ad urbem,
Marmoreamque domum ingreſſi, quam larga ſupellex
Publico inaurarat ſumptu, quot gratibus actis
Par erat, augustum procerum demittimus agmen,
Non fidium ſine concentu ac tibicine multo,
Quodque ſolet pompis avidum concurrere, vulgo.

Con-

Concilio tandem admisſum lux poſtera vidit
Arſenium, ac Demostheneo ſermone ſonorae
Perculit attonitum tantae facundia linguae.
Post breve reſponſi officium ſurgente ſenatu
Admotos princeps comites amplexus, in illis
Dignatus memor eſſe mei primaeque ſalutis
Allatae, nimia mandatum laude peractum
Arſenio nimis elogio clemente probavit.
Foederis affecti formis utrimque et abunde — Venetia diſcesſus.
Impletis, pactique rati ſolennibus actis,
Legatus longo Venetos abſoluere ſumptu
Hebdomadisque tribus certus non addere quartam,
Ad reditum comites propere jubet eſſe paratos,
Ipſe in procinctu. De me ſcis, Itala tellus,
Itala tellurum tellus et flos et ocelle,
Quanto te gemitu, quot per ſuſpiria, cujus
Vix in veſtibulo coelum guſtasſe videbar,
Linquendam ſenſi: de montibus Apennino
Nunc reliquo tantum, quo te, Florentia florens,
Emenſo, te Parthenope, te Roma, videndi

Copia quam facilis quamque opportuna fuisset!
Cedendum fuit imperiis utriusque parentis,
Arsseniique domum revocantis paene paternis.
Cessimus heu! veroque mihi nimis omine vates
Egredimur, dixi, terris, quas nulla videndi est
Causa reversura; aeternum, Florentia florens,
Parthenope, aeternum, aeternum mihi, Roma, valete.

Venetiae festinanti observata.

In Venetis certe, quantum mandata vacare
Et commissa meae siuere negotia curae,
Neglectum nihil est oculo indagare voraci:
Musica perspecta est avide, pictura, poësis,
Fana, fora, statuae, veteris praecepta Vitruvi
Exemplis formata novis et marmore vivo;
Insolita nobis structurae mole triremes,
Murana Aegypti cineres fornace fluentes,
Aemula crystalli crystallina vitrea vivae
Plana, caua, speculo illa oculisque, haec oribus apta:
Imperii majestatem quibus artibus ingens
Bis sex centenos Respublica rexerit annos
Non obiter didici, magno collecta senatu

In-

Incluſus proceres inter ſuffragia vidi;
Ipſa pilam caeca manus haec in pyxide merſit.
Omnia ſcrutanti ſolum te, candide veri — Padre Paolo Seruita non viſus.
Aſſertor, Seruita pater, te, maxime Paule,
Amplecti vetitum est; nec juvit epistola magni — 755.
Heinſiadae, longa tibi conſuetudine, longae
Vinculo amicitiae, et ſacra per communia chari.
Vis erat haec; blandoque ſeni, dum publica tractat,
Arcanis patriae in curis chartisque ſepultus,
Extera diſplicuit commercia crimen haberi: — 760.
Has Fulgentius, ille viri indiviſus Achates,
Rettulit humanas mandantis nomine voces.
Diſcedentibus auratos Reſpublica miſit — Munera Reip.
Arſenio, Arſenidae primogenitoque, mihique,
Ordine quosque ſuo diſtinctos pondere torques, — 765.
Et Venetûm appenſos Batavûmque hinc inde Leones,
Foederis, et monumenta rei feliciter actae.
Conſolabantur porro non ſegniter emptae, — Jactura rerum coëmptarum.
Quot poteram, Venetae merces, cryſtalla, librique
Muſicaque ad Batavas aures collecta ſupellex: — 770.

Sed

Sed nihili ſpes illa fuit; injuria fati,
Nil niſi me in patriam vacuo licuiſſe referri!
Barbarus hanc ſegetem rapuit pirata, libellos
Dira meos Tripolis, laceras, Algeria chordas!
Jamque per ipſa viae veſtigia prima reuerſi,
Excepti quibus ante locis et honoribus îsdem,
Nubiferas iterum inuiti conſcendimus Alpes;
Morbeniique iterum et Splugae per culmina vecti,
Helvetiosque lacus: tandem campeſtria nacti
Rauriacis reſpirantes illabimur oris.
Hic te, Rhene pater, ſumpto duce, pulchra ſiniſtrae
Curribus avecti legimus viridaria ripae.

In ſummam turrim Argentinenſem adſcenſus temerarius.

Magnificos Argentinae praevertere muros
Non valeo, niſi praemonito, ſi forte meorum
Hic aliquis tentare gradus in turre ſtupenda
Audeat; inſcendat cochleas impune quaternas,
Octonas etiam (quibus, ut facit ardea gyros,
Ardea falconem fugiens, incluſus et ipſe,
Liberaque in vacuo glomerans veſtigia caelo,
Ardea gyrando factus vel falco videbar)

Me non invito perget conſcendere, in unum
Admiraturus coëuntia culmina culmen:
Qui ſupra cochleas ſine ſepto ſurgit in altum
Terribili paries perpendiculo praeruptus,
Scanditur inſanis: quos inſaniſſimus inter
Ipſe, manu arripiens clauos uncoſue ſubinde
Prominulos, et mox pedibus quaſi fulcra faventes,
Euado ad ſummi faſtigia culminis: illuc
Grande operae pretium eſt vitae diſcrimen adiſſe,
Ut pueris placeas et declamatio fias:
Scilicet e ſummis apluſtria tollere malis
Non formidantes Batavos vel nocte, vel orta
Tempeſtate, ratem ſaeve quatientibus undis,
Quis pudor, immota vel nubes tangere turri
Nolle metu! Has nugas procul, o venture meorum
Sanguis, habe: nam ſi referam, deſcenſus ab illo
Culmine quis fuerit, quantae vertiginis horror.
Argentorati faſtigia deſpectanti,
Denuo me ſine cancellis manuumque pedumque
Subſidio nixum retro veſtigia ferre,

Do-

Donec ad illuſtres cochleas ſine labe redirem,
Nec mihi, nec vobis gratam narravero facti
Hiſtoriam, cujus neutri meminiſſe velimus.
Quod reſtabat iter, laete leviterque peractum eſt
Alternis, currente rota, vel flumine prono.
Prima ſuper Rheni ripam ſe Spira ſiniſtram
Obtulit: inde ſuos nova Francodalia Belgas,
Vangionum caput excelſas Wormatia turres,
Oppenheima ſuas, Moguntia major utraque,
Cuique ſuo nomen merito eſt patris Ara Lyaei,
Quaeque ſuas. Te Bonna, Colonia, te peragratas
Antea praetercurro brevi. Salue, Neomagum,
Priſca domus Batavûm: Grinnes, ſaluete propinqui,
Et Batavodurum, hoc ipſo mihi nomine chatum,
Trajectum grave, Lugdunique illuſtre lycaeum:
Non vacat in veſtris properanti laudibus horas
Ponere. Vicina eſt et curriculo repetenda,
Qua nihil his oculis vidi formoſius, Haga.

Hagam reditus.

Haga, redux ego te video, (ſic fabar) amica,
Delicium, decus, Haga, meum! Plus ipſa vetabant

Gau-

Gaudia, et excesſu implicuit ſe muta voluptas.
Maxima patris erat, matris, fratisque ſororumque
In decurſa mihi retro veſtigia mecum:
Currere, et Alpinos recolentem audire labores,
Splendores Venetûm convivia Germanorum, 835.
Veſtitus hominum, linguas moresque locorum;
Singula ſe in medias facile extendentia noctes.
Hoc operae pretium, hoc longarum nempe viarum
A reditu merces; quot quaeſitoribus unus
Omnia reſpondes, totidem ut videaris amicis 840.
Ire viae comes anteactae: quod vivere bis, vel
Saepius est, et pro libitu repetita voluptas.
Quin et verſiculos equitanti forte, rotave
Dum vehor, elapſos, ſummisque e nubibus ortu
Alpigenas avido reducem retuliſſe parenti 845.
Munera grata, libens memoro, quo quantulacumque
Sic quoque conſtaret ratio non deſidis otî.
Venerat in mentem Batavis hos forte per annos Inſcriptio ſepulchri principis Guilielmi Delis.
Autorem Batavae libertatis Gulielmum,
Hic ubi proſcriptam fuſo cum ſanguine vitam 850.

Fu-

Fuderat immisſi dextra percusſus Iberi,
Vili et inornato nimium jacuisſe ſepulchro
Hactenus: id fiſci ut vetus excuſasſet egeſtas,
Res patriae non ferre novis opulentius auctas.
Hinc modo ſpectatos augusto marmore Delfos
Non feſtinus adit, ſolitus properare, viator.
Gratia ſit patribus, tantis de manibus omni
Officio ſic ſollicitis utcumque mereri.
Attulit huic aliquid mea ſymbola Mauſolaeo,
Si jactare licet: post Heinſiadas Grotiosque,
Forte minus placitos, meus est qui marmore ſummo
Aureus oſtentat ſcriptum juvenile character.
Auriaci cineres, quorum mihi ſancta nepotes
Nomina conſtanti cultu colo, noster ab ipſis
Unguibus in veſtrum laudes ſit amabilis ardor.

DE

DE VITA PROPRIA

SERMONUM INTER LIBEROS

LIBER II.

Talibus aetatem ſtudiis placide peragenti
Obtulit altera majores occaſio curas.
Ampla miniſterio viſa eſt legatio noſtro,
Si non gratia magis, certe haud ingrata futura.
Sex ſocios Oratores Reſpublica, ſenis
Me comitem ſubmittit ad omni laude ſuprema
Majorem, triplici diademate ditem Jacobum.
Poſt hic non longo functi mandata trimestri
In patriam legati equites et munere multo
Concomitante graves, ego non ſine torque rediui.
Pluris erat mihi cum Thorio feliciter ictum
Foedus amicitiae; Thorio, quo candidiorem
Terra ſenem non vidit, ego nil doctius. Heu! quod
Aequore diviſi raro conviximus, heu! quod
Mors mihi dilectum praeceps invidit amicum.

Iter alterum in Angliam cum ſex ordd. legatis.

Reditus.

Raph. Thorii et Cornelii Drebbelii amicitia.

Drebbelium vidi tantum, qui fronte Batavum
Agricolam, ſormone ſophum Samiumque referret
Et Siculum. Optaram te conſuetudine longa
Uti, magne ſenex; ſed enim brevis obſtitit horae
Momentum, inuitoque alium dilatus in annum es.

Iter Anglicum tertium cum 3. legatis.

Nec mora longa fuit. Monuit res Indica patres
Et cum vicinis ad Gangem bella Britannis,
Fraternas inter pacem tentare querelas.
Arſenii ante alios prudens facundia rurſus
Apta videbatur tantas componere lites.
Mittitur: adſcitis Baſſo, Thulio et Joachimo;
(Caronti hunc ſucceſſorem Reſpublica miſit)
Me quoque ad hanc operam, qua pridem parte, vocato.

Incommoda navigatio nec ſine periculo.

Imus, et obſtructis glacie Rhenoque Moſaque
Soluimus a patulo Sceuerinae littore, et Euro
Propellente, brevi Batavas molimine terras.
Effugimus laeti: mox adverſantibus Euro
Detenti Zephyris; tandem incumbente pruina
Fluctibus, ut qui per tenebras timidi palpando
Progreditur, vel praetentans veſtigia coecus

Ponit

Ponit humi mendicus, et hic incertus et illic
Haesitat, ingredimur proreptamusque vicissim,
Atque aestu nimium sufflaminat anchora cursum:
Donec ad effluvium Tamesis tractusque vadosos
Provecti caecis subito sentimus arenis
Impactam, sabulumque salo miscere carinam:
Stantem vela ratem quatiunt, non apta mouere,
Non efferre vado fixam, non reddere cursum.
Cum rectore tremunt socii; nihil ille rogatus
Consilii dat, opis nihil hi; stupor omnibus idem.
Legatis oblata scapha est; si forte per altum
Remigio valeant cuicumque appellere terrae,
Seu Cantî pars illa foret, seu littoris illi
Ad boream longe oppositi. Jam cistula chartas
Et mandata vehens cymbae committitur; illam
Jam prope legati, legatosque ipse secutus
Ingredimur, sortem infidam tentare parati:
Cum subito non speratus ferit aethera clamor:
Exiliunt, plaudunt nautae: natat, ille, carina,
Intonat; hic, laxate pedem; natat, arripe clavum,

Rector, et errorem meliori corrige flexu:
Arripit, et retro proramque et vela retorquens,
Utitur exiguo, qui nos exſoluerat, aeſtu,
Elapſamque vadis agit in diverſa carinam,
Quaque cavus ponti Tameſis confuſus arenis
Pandit iter tutum, Graveſendae littus, oborta
Tempeſtate, petit, qua ſi quasſata fuisſet
Cymba levis, vel turgenti foret obruta fluctu,
Vel ſcopulis illiſa, ſalo impingente, Britannis.

Arſenii facundia regi in pretio.

Pacifico regi placuit legatio, cujus
Aurea de labris manabant verba diſertis,
Facundusque libens facundum rhetora rhetor
Audiit, et placidis nunquam non auribus hauſit.

Controverſiae ſocietatum Indicarum.

Te tamen, auri inſana fames, infamis habendi
Ardor, et a ſummo ſemper ſitis altera quaeſtu,
Te nequiit ſuperare labor fere inutilis anni.
Alter et alter ad impenſos menſes duodenos
Impendendus erat: tanto conamine, tanto
Impetu in adverſam partem pugnauit utrimque
Impiger extremos ardens mercator ad Indos

Brit-

Brittannus Batavo, Batavus ſuper eſſe Britanno:
Bis quadragenis memini me aſſiſtere in Alba,
Clamoſis toties ſtrepera congreſſibus, Aula.
Donec, Jacobo mediante a parte ſuorum,
A Batava noſtris, pacto lis rite dirempta est,
Sartaque fraternas inter concordia gentes.

Ad regem ego conqueſtum miſſus.

Dum tantum molimur opus, lentique ſenatus
Taedia laſſa diu patientia ferre recuſat,
Grandem a legatis tandem deferre querelam,
Miſſus ego regi, inuenio, de more, ferarum
Royſtonios per agros veſtigia coeca prementem.
Admiſſus reduci, quantum querimonia blandis
Exponi poterat verbis expono: benigne
Exceptum princeps audit patienter, et in me
Leniter innixus caenaculum obambulat, ultro
Culpam deteſtans vultu graviore ſuorum,
Pollicitus correcturum quae diſplicuiſſent.

Henr. Richius Hollandiae comes.

Dum loquitur, ſtricto gladio, quem nobilis illi
Hollandus, nutu monitus, porrexerat heros,
Prorſum improuiſe titulo me illuſtrat equeſtri.

Ornor Equeſtri dignitate.

Hunc tua (quam comis!) gladium mihi dextera dono
Obtulit, o qui tu gladio victor periiſe,
Uſurpatoris nunquam ſubiiſe ſecurim
Debueras, vir ſumme, fidem natoque patrique
Regibus ad ſummae ſeruans ſuſpiria vitae.
Londinum remeans angusta valle ſequenti

Ab equo detruſus evado feliciter

Carrorum ſerie ſubito comprenſus obhaeſi.
Cum detruſus equo, lapſus, verſoque deorſum
Vertice dependens, jam nunc pedibusque rotisque
Attritus caput aut ſenſi, aut ſentire videbar:
Stare negans, tandem lapſu perculſus agaſo
Subſtitit, et laturus opem, multo impete, multo
Sudore, implicitum calcaribus extricavit.
Illaeſum Deus ex tanto diſcrimine me cum
Servaſſet, reſtabat equus: cretaceus illum
Hinc montis paries, hinc carri pondus onuſti,
Sic incluſerat, ut non paene ſolubilis eſſet.
Extracto infilio gaudens, et nocte diei
In partem adſcita Londinum ſerus iniui
Et ſoſpes, referens cauſam feliciter actam.

Tri-

Famuli culpa caſus mihi gravis.

Triſtior eventu mihi ſe fortuna probavit
Infenſam: aureolos Jacobos forte ducentos
Sarcinulis miſcere meis invitus amicum
Paſſus eram; legatorum, ſi poſceret uſus,
Impenſae diſpenſandos, quantum breve regem
Verſus iter duraturum: proficiſcimur orto
Sole domo, cum vix praelonga ſuburbia rhedis
Egreſſos ſequitur clamor, de poſteriore
Hugenii peram corio cecidiſſe ſoluto,
Elapſum famulo, immemori tam dira minati
Tam nuper domini, ſi decollaſſet. At ille
Fecerat: infectum quis redderet, aut quis aduncis
Anglorum manibus tanti potis eſſe revelli
Oblatam pretii praedam ſperaverit? Hic me
Quis dolor innocue ſontem cruciaverit, et quot
Egerit inſomnes animi concuſſio noctes,
Inſane memorem, et quo non mihi vulnere vulnus
Durius inflictum eſt refricem nimis ungue cruento.
Sufficiant quae tunc mala ſum perpeſſus: in illis
Hic erat inprimis terror, ne forte pudendae

Intoleranda reum faceret ſuſpicio fraudis,
Qua levis obtentu famuli, caecis alienos
Inſidiis tentavisſem intervertere nummos.
At tibi, mens aeterna, cui penitisſima rerum
Lucida ſunt, tibi perſpectum est, quam, liber ab omni
Crimine, ſuſtulerim puras ad ſidera palmas,
Quam puras iterum tollo: nec tu mea quemquam
Poſteritas patiare velim, qui labe nefanda
Audeat immeriti famam temerasſe parentis.

Amici Londinenſes. Dulcia ne pigeat curis ingratum in amaris
Commemorare, libens animo calamoque recordor
Plurima amicitiae vinclis uſuque recenti
Obvenisſe mihi Britonum nova nomina: longo,
Singula ſi referam, videar ſermone moleſtus:
Nec nimia in multis opus est ambagine: ſolam,

Familia Rob. Killigrei Eq. Killigraea domus, ſi te cito, dixero multas.
Tanti contiguos hortos vicinaque tecta
Incoluisſe fuit: generoſi ſanguinis in te
Omnia ſic ortum ſapiebant; ſexus uterque
Tam peregrino comis erat nil tale merenti,

Tan-

Tantis indignum toties cumulavit uterque
Officiis, ut vel toto gratiſimus aevo,
Ingratus moriar: tibi tot, Roberte, nepotum
Nobilium quis dicat avo, quas dicere laudes
Occipiat tantis rhetor virtutibus aequas?
Quis ſua Barclaiis affinibus et Germanis
Elogia expediat vincto pede ſive ſoluto?
Sanctalbane nepos, quantis, te auctore, beata
Stirps Germana diu titulis et honoribus aucta est!
Quanta tot excelſos inter par turba ſodales
In vili vitio averſas confluxerit aedes,
Longa ſit hiſtoria: at Londinum dicere totam
Non verear, ſi totam addo, non mentiar, aulam.
Quisquis in arte ſua ſolers excelluit, huc ſe
Contulit: hic cognoſce datum est, Te, maxime Donni,
Omnibus antefero, divine vir, optime Rhetor,
Prime poëtarum: o, quoties ſermonibus illis
Aureolis, quos vel privatos inter amicos
Vel de ſuggeſtu, praeco facunde, ferebas,
Intereram, quo me viſus ſum nectare paſci!

Te quoque non taceo, mihi quae regnantis Elizae

Vidua Gualt. Raleigh. Eq. Concilia, ingenium, Francique procantis amores
Narrabas, matrona memor, mirabilis aevi

Geſtorumque aulae veteris Throgmortia teſtis
Optima, ut herois merita ac dignisſima quondam
Raleghii conjux: cujus te ſaepe ſupremae
Securas vitae voces ſpretamque ſecurim
Tradentem citra lachrimas, generoſa virago,
Audiuiſſe citra lachrimas vix ipſe recordor.

His epulis quas non alias, quam gaudia ſaepe
Muſica, Apollineas quas non adſcivimus artes?

Mater Killigraea 12. Liberorum parens. Tota domus concentus erat: pulcherrima mater,
Mater (ad huc ſtupeo) duodenae prolis, ab illo
Gutture tam niveo, tam nil mortale ſonanti
Quam coeleſte melos citharae ſociabat, et ipſo
Threïcio (dicas) animatis pollice chordis!

Lanivius muſicus. Hac ceſſante, ſuos Britonum Lanivius Orpheus
Si tentare moveretur modulosque manumque,
Ecce ſtupor multos, at me ſuavisſimus horror
Tundere, cuique diu posſem non eſſe ferendo.

Sci-

Scilicet haec Gallis unquam ſi audita fuerunt,
Sive Italis, ambos coram rubuiſſe magistro
Credibile est, artesque ſuas optasſe doceri.
Proximus his qui delitiis ſuccedere posſet,
Gauterius (proh quantus?) erat; quo nomine magnum
Artificem ſolo ſatis inſignire viderer,
Ni ſe Gauteria majorem ſtirpe Britannis
Judicibus, nec me contradicente, probasſet.
Dii ſuperi! qua vi dextrae, qua ſaepe ſiniſtrae
Eripuit mihi me, dubium chelys illa quid esſet,
Enthea, an humanae molimen et impetus artis.
Anſer ego hos tantos (quis crederet?) inter olores
Qualicumque fui in pretio, ut ſe forte vicisſim
Alternaque ſcabunt muli prurigine: certe
A tam laudatis non illaudatus abivi.
Drebbelium toto laeti posſedimus anno,
Me quoque posſedit posſesſorem, niſi fallor,
Non importunum: ſic teſtabatur abunde
Multas ille mihi multis ſermonibus horas
Largius impendens quam cui fortasſis amico.

200. Gauterius Citharoedus Gallus.

205.

210.

Corn. Drebbel. philoſoph. Batavus.

215.

Hac-

Hactenus haec. Rebus patriae feliciter actis,
Legatos bene geſta domum referenda vocabant.
Sic tandem, leni zephyro adſpirante, penates
Qui que ſuos adiit ſibi redditus, et peregrinos
Carbonum fumos patrio prae ceſpite ſprevit.

Domum reditus, obitus patris.

Totus ab hoc orbem caeli peragraverat annus,
Cum mihi grandaevum non immatura parentem
Mors rapuit, ſed acerba tamen: nempe ille coaevus
Eſſe mihi dignus, niſi debuit eſſe ſuperſtes.
Natales dedit Heida viro Bredana paternos,
Baxia maternos et Backia, nec Brederodae
Inficianda domus. Nil de virtutibus addo
Delecti ſenis; has patres et patria norunt,
Auriacique duces; quibus a creſcente juventa
Grata miniſterii non ulla labe notati
Praeſtitit officia ad ſummam ſine fraude ſenectam.
Donec adeſſe ratus vitam quae terminet horam,
Quos prope jam quinquagenis bene geſſerat annis,
Mauritio primogenito tranſcripſit honores.
Et patribus res grata fuit, nec inutilis heros.

En-

Enthea vis animae, quantum de carcere prae te
Jam ſoluenda, vales! quantum praeſaga futuri
Affinis vero es! Medicus dum pernegat, ipſe
Eluctantibus e moribundo gutture verbis;
Conſtantine, diem hunc quartum mihi crede ſupremum.
Dixit: quartus erat, quo depoſitum coeleſti
Reſtituit caeleſte patri pater optimus. O lux
Atra mihi ſemperque nigro ſignanda lapillo!
Ille autem vitaque ſatur, vitaeque laborum
Pertaeſus, ſuperum fruitur, ſine crimine, coeli
Incola delitiis, quam quisquam inviderit amens?
Defuncto qui et quantus honos reſtabat, abunde
Implevit procerum in primis amplisſimus ordo,
Regum legati ſociorum et uterque meorum
Principum, in exequiis vivi teſtatus amorem,
Nasſauiaeque domus flos ipſe et multa propago,
Majorumque ducum ſtudio comitata caterua,
Totaque praecipuis lugens in civibus Haga.

Mandatum principis Gulielmi a patre in Anglia ſtrenue peractum.

Si tumuli indignum titulo est quod in hoſtis Iberi
Inciderit quondam inſidias, fugiente Batavo

Milite deſertus, patriae nec inutilis ille
Exſtiſterit carcer, facili molimine porro
Qua clauſus fuerat, expugnata Neomago;
Altera res bene geſta brevi modo digna videtur
Hiſtoria: Hugenium patrem florente juventa
Intrepidum, multos inter, prudentia magni
Auriaci, aeterno Belgis cultu venerandi,
Legerat, infantem puerum de fauce leonis
Qui raperet: diffidenti datus obſes Ibero
Mendozae fuerat; qui tum regnantis Elizae
Londina verſabatur legatus in Aula,
Flisſingam captare dolo meditatus, eodem
Decipiendus erat; rubuit deceptus eodem.
Fortiter ereptum puerum, et trans aequora vectum
Fortius, elapſus magna vi pone ſecutis
Hoſtibus, Auriaco genitor ſtitit: ille peracti
Muneris egregie egregium, pro tempore, munus
Obtulit et collo appenſum geſtare coëgit.

Obitus Mauritii principis.

Proximus heu! longe funus funeſtius illo
Vidit, et in longo gemitu contabuit annus.

Mau-

Mauritium heroem, coelo, ſi dicere fas est,
Non tempeſtivum, nec in ulla aetate futurum,
Mauritium Heroem, qui debuit esſe ſuperſtes
Omnibus heroum tumulis, fata, invida fata,
Hoc de terreſtri, ſolio meliore locarunt.
Horruit ad cladem, nec erat par Belga ferendo,
Et flendi ſibi laeſa modum Reſpublica ſero
Fecisſet, niſi de cinere hoc novus, alter ab illo,
Auriacus fauſto rediisſet ſidere Phoenix.
Hic ubi fraternos ſibi clementisſimus haeres
Adſcisſet veteri fixa mercede miniſtros;
Non averſa domus mihi ſe, ſed plena, negavit.
Indicio est, vultu quod me, Frederice, ſereno
Siveris esſe tuum, ſimul ac tibi fata Tuningum
Eripuere, virum longo tibi temporis uſu
Perſpectum priſcaque fide. Quae ſuſtulit illum
In caſtris grasſata lues, te maxime, lethi
Perpetuum contemptorem, decedere tecto
Nec vel amicorum timor aut perſuaſio movit.
Sic Junio juvenis collega admotus, in illa

Succedit princeps Fred. Henricus.

Succedo Tuningio principi a ſecretis.

Com-

Compede me vitaeque dies operamque locavi.
Qualis in hac vixi, quali comitata tenore
Me rexit divina manus data penſa trahentem
Conſtanter, fruſtra hic memorem, vernaculus olim
Autor ego hanc telam non duro carmine duxi.
Nempe tot in turba rerum bellique domique,
Quaeque hominem credas tumulare negotia totum,
Melpomene ſemper praeſens mihi, rarus Apollo
Abfuit; ut nihil aut equiti peditive faceti, aut
Serii (ut occurrunt rerum ſubitanea menti,)
Exciderit, ſi quid viſum est Epigrammate dignum.
Iſte meus furor est, ſi vis, inſania; ſi vis,
Relliquiarum oti non aſpernabile lucrum.
Editio poëmatum Latinorum et Belgicorum.
Teſtari poterunt quae deſultoria dudum
Momentis nec inutilibus profudimus horis,
Et tricena meis collecta volumina Belgis.
Quam, ſine jactura rerum, ſubduximus aulae
Officiis, nulla parci nihil egimus hora.
Tu quoque, poſteritas, niſi vani paſcimur umbra
Nominis, Hugeniis aliquot bene perdere nugis

Et

Et momenta voles, et non odisse poëtam,
Res patriae alternisque tuas, ubi posset, agentem.
Nec citharam tacuisse quidem quocumque gravati
Pondere, tam non inficior, neque duco pudori,
Ut laudi reputem: et monuit prudentia, curas
Omne graves mollire melos: mihi crede, juventas,
Si quid ab unguiculis docta es vel voce canora,
Vel fidium tractare modis, cole et excole primum
Semen, ut in fruticem surgat, fortasse vel arbor
Fiat, erit cum te istius sub tegmine fagi
Vel tristes animi plagas lenire juvabit,
Vel cantare creatori quas ipse crearis
Voce, manu, cithara grato de pectore laudes.
Talia ego in mediis animae solatia castris
Arma tubasque inter, patriaeque negotia et aulae
Mille, mihi applicui; nec opella semper inani.
Multa nepotibus hoc, pro me, composta loquetur
Cantio, qua modulos regi aptavisse Prophetae
Non inconcinnos, quae vix sibi docta canori
Gallia quid patitur conferri, Gallia fassa est.

Psalmi ad citharam in castris compositi Lutetiae editi.

Hujus adhuc ſegetis tot laetas colligo ſpicas,
Tot juvenis cultura ſenem delectat ariſtis,
Ut nihil anteferam. Ignoſcet quicumque paternus
Quid ſit amor, quae cuique ſuae ſit gratia prolis,
Ipſe pater, didicit, vel fuſi carminis autor.
Altera non raro gravior digreſſio menti
Oblata est inopina meae. Dum cingimus urbes
Milite circumvallatas, quaeritque vocatque
Suppetias incluſus Iber, viaque omnis apertis
Invia epiſtoliis, arcanis arte tegendis
Occultas adhibere notas ſpes ultima ſuaſit.
Res penſi fuit illa mei, nec inutilis autor
Hoſtiles nulla non obſidione reſolui
Arte mea, vel fraude dolos; quod in hoſte receptum est.
Nil accerſitus vel ab ipſo Gange character
Obfuit, aut ficta non viſus imagine Gryphus:
Cuncta duci reſerata meo, pellucida, plana,
Extricata dedi: quo quas mihi nomine grates
Dixerit et laudes generoſum pectus, in ima
Mente repoſtum habeo grate memor. Optime princeps,

Hoſtium arcanae litterae explicatae.

Hu-

Humanisſime magnatum lenisſime victor,
Victor perpetue; o tanto tibi quanta voluptas
Tantillo ſeruire fuit, o ſuave laborum
Pondus, ubi domini est merces in fronte ſerena!
Coelibis hic vitae ratio conſtanter amari
Coeperat, et poteram nullum ſuper unius aulae
Servitii ſubiisſe jugum; niſi nos fatorum
Rector ab aeterno ſociasſet foedere ſancto.
Clara meum, Barelaea, decus, quo munere nullum
Tota mihi poterat coeli clementia majus
Largiri, nullum. Cognatio, nubilis aetas,
Forma, modeſtia, ſupra omnem ſapientia ſexum,
Virtuti par cenſus opum, virtutis imago
Ipſa, cui nec erat quod quis bene vellet ademptum,
Quodve quis appoſitum; lapidem quae ſingula poſſent,
Me, quî non lapidem poterant non juncta movere?
Moverunt, fateor; nec amantem ſpreuit amata.
Longus amicitiae cultus breve nomen amoris
Induit: hic gemino magnete reciprocus arſit.
Neutra fuit neutri nova concilianda voluntas

360. Coniugium.

Conciliata diu. Patrio ſolennia ritu
Publica reſtabant; patria populoque deoque
Lege ſatisfactum est: convenimus auſpice fauſto
Numine, cui, quantas illo de munere grates
Debeo, non ſoluam quot vixero debitor annis;
Soluite, qui de iſta vivum me ſtirpe nepotes
Felicem feciſtis avum. Regnavit in illo
Perpes et ad finem parilis concordia lecto:
Unanimis animis placuerunt omnia utrimque et
Singula, quae poterant vel agenda vel acta placere.

Domus empta: in qua quinque liberi nati.

Alteri utrique emptas placuit, quas nobilis orta
Nasſauidum pridem genetrix posſederat, aedes.
Hic marium laeti quatuor genitor genitrixque
Viximus, et totidem bis porro exegimus annos.
Deerat adhuc precibus votisque utriusque parentum
Fratribus una ſoror quatuor. Feliciter illam
Enixa est, o quam grato laetisſima partu,
Hei! mihi! quam ſubito ſublata puerpera caſu.

Obitus uxoris.

Illa quidem vitae lumen caeleſte beata
Aeternamque diem, quam ſuſpirarat, adiuit:

Sed

Sed meliore mei mutilum me parte reliquit
Intempeſtiue quina cum prole parentem,
Prole patris nondum cura ſed matris egena.
O anima, o animae virtus, cui ſaecula retro
Non videre parem; ſi forte futura videbunt,
Pauca reor viſura parem. Non illa repleſſe
Pulchra poſteritate domum contenta receſſit: Domus exſtructa.
Digna ſuperſtitibus viſa est augustior. Illam
Ingenio meditata ſuo, qua parte probatur
Maxime, ad extremum perduxit ſedula culmen;
Dum caſtris affixus ego mea deſero caſtra,
Et meus ad Bredam magno molimine princeps
Fulminat, et late ejectum profligat Iberum.
Extremum hoc dilecta mihi ſacravit amoris
Mnemoſunon pignusque ſui: quo cum grege paruo
Et lachrimis commigravi, deſertus ab illa
Aeternum mihi deploranda compare turtur.
Antierat Zulichemii, ditionis avitae
Pykiadum titulis illuſtre et nomine caſtrum,
Et caſtro ſubjectus ager, nec inubere gleba,

Sed pingui, facilique et forti gratus aratro:
Hic ubi ſe, major, postquam diuortia paſſus,
Vicino properat Rhenus confundere Moſae.
O domus, o mihi terra ſitu dilecta venuſto,
O de magnifico ſurgentes flumine ripae,
Otia quam vellem vobis impendere, et illis
Sollicitae in pratis oblivia ducere vitae!
Absque fores nimius, Vahalis, corroſor agelli
Importune mei, et pugna contendere tecum
Cogerer aſsidua, circumventique quotannis
Nulla non aliquid raperes de meſse coloni.
Diſcite, poſteritas omnis mea, diſcite triſti
Cautius exemplo mercari, et proxima ſemper
Vicinam fundis agnoſcite flumina peſtem.

Obitus Matris.

Tempore non longo praecesſerat altera clades:
Quae me ſola ſuo lactaverat ubere mater
Optima, me ſolum de ſena prole, ſenectae
Ceſserat et fatis; cum nec morientis ocellos
Claudere, nec poſsem extremis atratus adeſse
Funeris officiis; dum Rhenoberga repugnans

De-

Detinet inſtantem Auriacum, me vincula duri
Aurea ſeruitii caſtris procul eſſe vetabant.
Hoefnagliae fuit illa domus, de ſtirpe vetuſta,
Nobili, et omnimoda virtutum laude celebri
Floſculus. O ego quam merito mihi, dulcis alumna,
Gratulor, o mea prae fratris quatuorque ſuorum
Non adſcititio felix infantia ſucco!
Mater eras, non inficior, juſtiſſima et aeque
Prolis amans, ut amata ipſi dignisſima proli;
Fallor ego tamen hic, niſi paulo, bis quaſi mater,
Arctius amplexa es natum nutrix et alumnum:
Nec libet occultis ſtorgen adſcribere cauſis:
Altili et ingenito ſimul haec in ſanguine vis est.

Obitus fratris unici.

Dum vitae ſcopulos inter funeſtaque luctor
Tempora ploratosque dies, ſuavisſime rerum
Mauriti, ſanctum mihi et indelebile nomen,
Proximus occurris, qualem te in limine lethi
Et mea deflentem pro te ſuſpiria vidi?
Tunc quoque ſollicitum, quod eras dum vita remanſit,
Ne quid adhuc paterer, quo non tibi forte ſuperſtes

Durarem, ductorque tui non funeris esfem.
O oculos, o amplexus, o verba tenella,
„ Ergo te video" (nam saepe diuque rogatus
E castris aderam) morientibus edita labris!
O de non saturo vivendi corpore laete
Migrantem, o animam vitae melioris aventem?
O mihi si talem miserantis gratia coeli
Concedat simili finire coronide vitam!
Talibus aetatem ventis, si saepe secundis,
Saepius adversis, laetus lugensque peregi
Sedulus assiduusque duci patriaeque minister;
Plurima quae in partes hodie partita videmus,
Multaque multorum nunc credita munia curis,
Solus agens: sic me domino bellique domique
(Seu fuit hoc meritum, seu fors fortuna) probavi;
Ut quem sponte bonis cuperet vel honoribus auctum
Augeret facilis, si quid daret hora, quod hora
Saepe negat. Sic Dimmerio successor in istum
Cui nunc praesideo, Junio comitante, senatum
Assumptus, retuli pretium non vile laboris

Succedo Erico Dimmerio principi a consiliis.

Prae-

Praeteriti. Sic Zeelhemium, cedente toparcha
Pignus anu vetula, paruo dedit aere redemptum.
Sic ſocium Conſtantinum ſimulatque petenti
Conſtituit patri, non olim forte futurum,
Sed vix prima ſemel tironem caſtra ſecutum.
Viderat omni judicio penetrantius illud
Judicium, quanto in pueris ab origine cultu
Ingenuos conatus eram introducere mores,
Multas nec paterer linguas neſcire nec artes.
Et ſemente probe inſpecta dignatus ab illa est
Non vilem ſibi vel patriae promittere meſem.
Hoc mihi de cultu ſi quid licet addere verbo
Expediam. Natos mea per veſtigia duxi:
Quippe mihi, rebar, qui non male ceſſerat, idem
Ipſe meis iterum non eſſet inutilis ordo.
Sic puerum qui me et fratrem peruiderit, omnes
Viderit, et minus hic ovo non diſcrepat ovum.
Plebeis debere ſcholis primordia prudens
Non ſivit nos noſtra pater: mihi cura meorum
Prima domi et poſtrema fuit: privata magiſtris

Zeelhemii donatio.

Conſtantinus collega mihi adſcitus.

Educatio liberorum.

Et praecepta dedi, et per quae compendia duci
Tirones cuperem, quibus a cruciatibus, omni,
Qua nil proficitur, praeciſa ambage, redemptos.
Non fuit in ſterili patrius labor: omnia docti
Ocius, ingeniis ſic praevenere docentes,
Omnibus ut fraeno, nunquam calcaribus ulli
Eſſet opus: quo profectu res ipſa locuta est.
Artibus imbutos et linguis, qualibus olim
Ipſus eram, patriae natali carcere clauſos
Non tenui. Peregre miſſos quae quisque locorum
Viderit, ipſe ſibi ſcribat quandoque ſuisque.

Conſtantinus. De Conſtantino dixi dicenda, ſilere
Ni foret ingratum, quantum reſponderit usque
Votis ille meis quantis excesſerit illa
Dotibus erecti et nullis non artibus apti
Ingenii: quam, cum libitum est, felice Minerua
Et Muſas colit, et cujus non taedeat ipſam
Bilbilin obtinet a Muſis epigramma Latinis.
Adde quod, his aegre contentus, Apollini Apellem
Miſcet, et hac etiam tantum ſe praeſtat in arte

Par-

Parrhaſium, ut, ſi non aliorſum fata vocaſſent,
Poſſet in hac etiam ſummis certare palaeſtra.
Scilicet hunc matri puer ἀυτοδίδακτος amorem
Debuit, hanc naſcens graphicen a ſanguine traxit:
Tanto uterum geſtans artis flagraverat aeſtu
Ipſa ſuper ſexum genio provecta virilem.
Proximus a primo, cujus male nomen iniquis
Hexametris, toto vix gloria clauditur orbe,
Quae dederit, quae credibile est exempla daturum
Vidit Gallia, fons charitum, virtutis amoenae
Mater, et hoc a me pretioſum pignus adepta
Vindicat. Heu dilecte puer, niſi fata vetarent,
Tecum vivere amem tecum finire ſeniles
Hoſce dies, tecum quavis regione morari.
At tibi, vel ſine me, quo quandocumque vocato
Ut bene ſit, longe votis melioribus opto.
Plurima ne memorem, tua nempe crepundia, quaeque
Nec ſatis ipſe quidem te digna puto, quantumvis
Magna mihi paribusque meis, qui vilis humique
Repens turba ſumus prae te per ſumma volanti

Aethe-

Aetheris: ut non enumerem, quam mente manuque
Muſicus excellis; quam judicio penetraſti
Omne quod in cryptis agitat natura ſonoris;
Ut ſileam, a teneris quam praeceptoribus extans
Mutaſti officia, et mox de tirone magiſter
Tironum, Siculique ſenis de nomine nomen
Nactus es: ut ſileam, quae dudum gratia cretae
Rubra vel atra tuae est, calamo quam dextera pollens.
(Quippe tuae ſunt illa nuces contemptaque merces,
Quam tamen aut caſu aut ſtudio ſibi ſi quis adeptam
Sentiat, oblati cumulum non praeferat auri)
Dum coeli rota, dum ſtellae voluentur, et aequi
Incluſae modulo current libraminis horae;
Dum Saturnium ab aurito, te vindice, probro
Purum ſidus erit; dum fabula deſinet eſſe,
Quemque revelaſti, cycli ſeruabit honorem,
Vives non niſi cum ſtellis delebile nomen.

Ludovicus. Tertius hic, Ludovice, mihi ſine bile vocandus
An venias, dubium est. Tibi, praeſtantisſime, litem
Non moueo: meus es: patrii candoris et aequi

Im-

Improbus est qui te dubie fateatur amantem.
Turbor et incendor, quoties cum gente maligna,
Ingrata cum plebe, dies noctesque quietis
Expertem colluctari sic sentio, ut ipse
Si sentis, miser es. Quis enim ferat omne, quod actum est,
Ipsis, qui vitio vertunt, auctoribus actum?
Quisquis es, Hugenium nomen, furiose, fidemque
Aggressus, qui nil meritos fecisse nocentes
Ausus es; at quid nos, nulla cui fraude notatos,
Persequeris, lacerasque meam, mea viscera, prolem?
Quisquis es, ignosco: nec erit quod vindice tecum
Crimine contendam: si quam, cave numinis iram.
Tu recti, Ludovice, tenax, contemne malignos,
Fide bonis; crepet invidia, cuicumque crepare
Collibitum est; spartam tu, quam bene nactus es, orna
Sedulus; infames aliquando calumnia buccas
Frenabit pudibunda; et erit cum crimina de te
Fingere cui libuit, pravi falsique ministro,
Crimine confusus proprio te supplice gestu,
Et veniam (si te novi) obtenturus, adibit,

Pa-

Patratumque nefas iurabit velle redemptum
Sanguine, nec poenam fasfus meruisfe minorem.

Philippus. Quartus erat non ingenio, non fratribus ulla
Dote minor, quin ipfe tribus jam vertice toto
Celfior, heu, trifti memorandus voce Philippus.
Scilicet hunc tantum terris (quanta indole, quantis
Principiis, quam provectum!) properantia fata
Oftenfum, mihi bis denum rapuere fub annum;
Cum ftudio, quo torquemur peregrina videndi
Pene viri, captus, me non prohibente, boreum
Legatos patriae laete comitatus ad axem,
Praecipiti Mariaeburgi mortalia morbo,
Me tam divifo triftem procul orbe reliquit.

Sufanna unica. Ultima tot fratrum, tot fratribus unica vere
Digna foror, mea vita, meo mihi corde Sufanna
Carior emicuit; quanti virgo atque marita,
Dicere fi aggrediar, vix dum fuffecerit aeui
Quod fperem fuperefe mihi; fi poftera partem
Secula rettulerint, partem praefentia, plura
(Ecce paternus amor) longe referenda relinquent.

Dou-

Doubleti, generoſe gener, ſi nemo loquatur,
Te certum est nec velle quidem, nec posſe ſilere,
Quali coniugio, quali ſis matre beatus:
Si ſileas tamen, en vivos pretioſula teſtes
Pignora, de quorum numero, niſi ſe duo tantum
Digna retraxisſent ſuperi, felicior omni
Orbe pater non vixisſet: gaudete relictis
Contenti laetique tamen, ſatis est et abunde
Quo caelo aeternos referatis nomine grates.
Nec ſtetit hic fors iſta quidem, quot quaeque nepotum
Facta nurus me fecit avum, tot ſidera verſor
Inter, et illuſtri recreor, ſine nube, ſenecta.
O puerum Conſtantinum Ryckartia conjux
Quem dedit, o gemmam! nihil hoc formoſius illo
In ſexu natura, nihil mellitius auſa est.
Tum vero, Ludovice, tibi quam parua virago
Quam lepidam enixa est marium Berckhoutia mater
Gorcomiam triadem, marium fortaſſe quadrigam
Impletura brevi, quo nunc quoque craſſula foetu est.
Macte, meus ſanguis, nomenque propagine noſtrum

Ex illa Conſtantinulus nepos.

Ex Ludovico plures.

Per-

Perpetua, patriamque bonis bene civibus auge.

Hofwyck (vitaulium) exſtructum.

Dum partus retracto meos gentemque feracem
Hugeniam enumero, venit ultro viuida próles
Altera, et in cenſu vult non contempta videri.
Quam loquor, et loquor exſultans, Vitaulia villa est.
Hanc ego ſic peperi, ut non obſtetricis egenum
Viderit ulla dies; quanti ſit cumque valoris
Prediolum, quam vile, meum est: de cannabe ſicca
Quercetum feci, montem multa abiete ſtruxi
Conſpicuum, alnetum ſevi, quod ligna quotannis
Alternisque foco reddit radicibus: adde
Stillantem liquidis betulam de vulnere guttis,
Milleque in aëriam ſubuecta cacumina ſylvam,
Robore porticibus vivas praeſtante columnas,
Adde palatiolum lacui (quaſi cantharus undae
Immerſus, ſi convivis placet algida Bacchi
Potio) piſcoſo lacui ſeſeque replenti
Inſtructum, non mole gravi, modica atque modeſta
Compoſitum, quod hero ſolem defendat et imbres.
Hic quaſi tu cochleam videas, vel quadrupes illud

Rep-

Reptile, quod propria ſeſe teſtudine tecti
Condit, et arctari vitam nec laxius eſſe
Sentit, ego coelebs tego me, paruoque cubili
Incubo, contentus parce ſplendente ſalino.
Adde, quid his addam? ſi cui Vitaulia tempe
Pernouiſſe lubet, me conſulat; eſt ubi longo
Hancce meis Batavis abſolui ſtamine telam,
Bisque adeo villam peperi, nec dicere dicta
Aut vacat aut volupe eſt. Unum hoc iterare juvabit,
Ne mihi tam charum quisquam de ſtirpe meorum
Vendibilem externo cuiquam fore credat agellum;
Hugenios ſemper dominos agnoſcat, et iſto
Tranſeat haeredes inter cum nomine mando:
Hoc fidei, mea poſteritas, teſtator et autor
Depoſitum committo tuae: parete, nepotes,
Nil grave mandanti proavo: ſic proſpera gratis
Omnibus omnia procedant, ſic gaudia curis
Mixta leuent animi varios vitaeque labores.
Vitauli fuit iſte ſcopus: ſic viximus. Eſte
Felices, qua parte fui; gaudebitis olim

Exemplo monituque meo bene vivere docti.

Obitus principis Fr. Henr.

Quo me delitiae, quo me, mea villa, vocaſtis,
Quo feror imprudens? ohe, vitavimus aulam
Hactenus: adverſi procul in contraria venti
Invitos revocant, et clades publica: eundum est
In lacrimas; plangenda dies, qua maximus aevo
Eripitur tandem princeps meus. Heu patriae ſors
Aſpera! ſi aetatem video, vix ille ſenilem
Attigerat; ſi quot capiti victoria palmas
Nexuit, annorum multos impleverat annos.
At mihi quis vultus, quis tum color, omnibus orbo
Cum patriaeque meoque iterum patre. Jam Vitauli
Secesſu certe uſus erat. Sed in otia condi
Non male de Auriacis meritum prudentia nati
Jam rebus ſupraque fidem matura gerendis
Non tulit: imperii compos me vinxit eadem
Compede, qua excideram, innati Gulielmus amoris
Affectu, fecitque ſuum, et conſtantibus aurem
Conſiliis (ut non aliis aliquando dediſſet!)
Applicuit: quin ipſa ſuo ſtipendia motu

Auxit,

Auxit, et impleto Zeelhemi munere donum.
Omnia ridebant; ſtadii felicis inibam
Curriculum, et poteram Henrico non eſſe videri
Orbatus, qui tam Gulielmo utebar amico,
Principe clementi, humano, facilique bonoque.
At nimium brevis illa fuit fortuna triennî.
E heu! poſtremum ſuperos heroa Batavis
Auriacum invidiſſe! quid eſt ſuper, unde, quis illo e
Sanguine pro nobis, pro libertate reſurget?
Sic populus lamentari, ſic flere popellus,
Sic patres agitari animis, matresque nurusque,
Sic proceres tacito de pectore ſuſpirare:
Cum de viſcere regali flos exiit, ille, Nativitas principis Guil. Henrici.
Ille, mei cives, quo nunc Reſpublica floret
Florebitque (Deum votis precor annuat) omne
Floribus Auriacis flos immortalis in aevum.
Infantis tutelam aviae, matrique Britannae Diſſidia ob tutelam.
Diſſidium genuiſſe mihi damnabile viſum.
Turpius hoc, litem pravis alicunde foveri
Artibus. Occurri medius, verbisque manuque et

Conſiliis, quo pax et amor coaleſcere poſſent.
Non par gratia utrimque fuit: ego munere functus,
Integritate mea me involui, conſcius aequi
Ipſe mihi cauſaeque bonae conſtanter adhaeſi.
Conſorti tandem imperio concordia creuit:
Nec ſecus ac bino quondam ſub conſule Roma,
Res omnis tractata fuit tutrice gemella.
His ducibus mecum, quae relliqua turba ſenatum
Principis impleuit, veteri quoque munere functa est.

Obitus principis regiae.

Tempore post aliquo ſocias mors ipſa diremit,
Eripuit matrem praeceps, aviaeque onus omne
Pupilli ſine diſſenſu, cum pace reliquit.
Illa meamque operam multis experta fidemque
Non dubiam, et ſi quid vario ſermone valerem,
Saepius excelſas magnatum miſit ad aulas.

Legor ad Leopoldum Auſtriacum.

Quorum Bruxellis rebus praefectus Iberis
Caeſareus Leopoldus erat, mitiſſimus heros.
Ille ſibi Italico, quod juſſerat, ore locutum,
Neſcio quo propere affectu permotus, in aulam
Saepius et ſolus ſolum in conclave vocavit,

Zam-

Zamponiique chori, quo nil divinius, una
Participem ſecum praeſenti aſſiſtere juſſit;
Munus item, partum Muſarum nempe ſuarum,
Obtulit, egregios et non pro principe verſus.
Nec ſucceſſori voluit fortuna Joanni 720.
Item ad Joannem Auſtriacum.
Auſtriaco minus acceptum. Concentibus ille
Perpetuo harmonicis curarum taedia mulcens,
Nec nunquam proprio tentatis pollice chordis,
Gratum habuit munus patri regale Philippo
Per mare transmiſſum, Batavo ſed milite caſu 725.
Exceptum, libros quos omni muſica quondam
Anglia delectu, Buckingamio duce juſſa,
Exornaverat. Ille oblata volumina juris
Noluit eſſe ſui, ſatis exemplaria faſſus
Mandato exſcribenda ſuo ſibi muneris eſſe. 730.
Artibus his molles aditus et commoda fandi
Tempora venanti, tuto et bene rebus agendis
Et propere patuere fores. Sic feria ludo
Lucremur; quacumque valet quis dote, placendum est.
Amplior inſtabat peregre labor, altera longi 735.

Item ad Ludovicum XIV Galliae Regem.

Clauſula ſervitii. Si, quo provectior aetas
Iſſet, et annorum cumulum ſpectaſſe liceret;
Excuſanda fuit vitae prope ſcena peractae.
Non licuit. Neutram perſtans Amalia ſenectae
Jam velut emeritae indulſit rationibus aurem;
Parendum; obſequii quo gloria duxit, eundum
Invito fuit; invitis linquenda propinquis
Patria, et alterius res tota domeſtica curis.
Infantem Auriacum, quaſi non injuria pridem
Facta ſatis premeret, quaſi propugnacula caſtro
Diruta Mauritii ſtructoris opus mirandum,
Opprobrium leue, contemptus, vis, parva fuiſſent;
Saevius aucta nefas et ſummum criminis auſa est
Ambitio. Quae reſtabant in monte vetuſtae
Arcis relliquiae, nullo munimine moles,
Gallicus invaſit depulſo miles herili
Milite, et imperii totas excuſſit habenas
Infanti Domino: gemuit ſub pondere ſerva
Libertas, gemuere patres et ſubdita plebes
Uſurpatori, pro majeſtate, moleſto.

His

His tantis turbata malis Amalia medendi
Quas poterat meditata vias, non vidit inermi
Pupillo niſi ſe precibus ſuccurrere poſſe.
Haec mandanda mihi tandem provincia viſa est.
Terribilem regem (veniam da, Gallia) regem
Proſpera et ad coelum ſublimi ſorte ferocem
Cogor adire: adeo: excipior nec fronte ſerena,
Nec torva, facili attente, graviterque benigna.
Non regi ingratus peregrino Gallicus ore
Sermo parum peregrinus erat, cum dicerer hoſpes,
Qui prius huic non intuleram veſtigia terrae.
Non ingratus ego Augustae, non totius aulae
Principibus, Condaee tibi, tibi regie frater
Unice, neſcio quo adiutus rumore ſecundo,
In pretio vixi: quin Telleriis, Colbertis,
Et mihi manſuetis ſine fraude Leonibus ipſis.
His fautoribus, his privatis uſus amicis,
Interea (quae poſteritas id credere poſſit?)
Tantum non totos quatuor ſudavimus annos,
Ante mihi quam de domitore nepote Philippi

Ludovico lingua et calamo victoria parta est.
Nec modo tantae operae te ſola Lutetia, vel vos
Limpidi aquae fontes, vel Sangermanica, vel te
Sequana, vel ſolam voco te, Verſallia, teſtem.
Amplior his longe noſtri fuit area circi:
Inde bis ad Carolum Magnae Britanniae Regem. Oceanum Thameſinque voco; bis arandus uterque
Bis redarandus uterque fuit; quo juſta Britanni
Numinis afflatu pupilli fortior eſſet
Auriaci cauſa, et partes jam funere rapti
Heu patris Aeneae praeſtaret avunculus Hector.
Tantae molis erat, quae ſciret principis eſſe
Gallia, vicini ne nollet principis eſſe,
Sed convicta, malis interverſam artibus arcem
Redderet, ut priſcos indemnis Arauſio faſces
Suſpiceret, Dominum civis, Reſpublica patrem.
Quis Caroli fuerit fauor, et quae gratia, parco
Dicere: res docuit. adamas adamante domatur,
Invicti reges invictis regibus, illum
Iſte mihi, non vi illata, ratione ſubegit.
Tanti erat, antiquae me conſuetudinis uſu,

Re-

Regibus ignotum non advenisse Britannis.

Ad Gallos reduci jam non maris aequor arandum
Sed multum telluris erat: adeunda fuisti,
Visendumque tuis quid abesset, Arausio, muris,
Quid reliqui factum, quas instaurare ruinas,
Quas non expediat, veteri quam reddere formam
Imperio, quas inductis obducere leges
Legibus, aut pravos sanis compescere mores.

Secundo in Angliam reversus mittor Arausionem.

Hoc iter agressus Lugdunum grande quadrigis
Aduehor: hinc Rhodani, quo nil velocius usquam,
Flumine praecipiti, Auriaca properanter in ora
Sistor: ibi me magnifico peditumque equitumque
Excipiunt plausu turmae, lituisque tubisque
Instructae signisque: omni regione juventa
Nobilis in pulchras ibat collecta phalanges.
Exsultabundae matres et gaudia fusis
Testantes lacrimis, patribus mixtae atque puellis
Occurrunt et multa meae dant oscula dextrae,
Saepe renitenti, et moderatius obtestanti
Exsiliant: frustra: quid enim? quasi principis umbram

Intuitos, non viſi unquam nec forte videndi,
Tum libertatis felici vindice tutos,
Excuſique jugi de pondere reſpirantes,
Omnem laetitiae cumulum decuiſe putarunt.
Ereptus tandem turbae, pervectus in arcem
Quadrijugis, procerum alloquiis ingentibus aurem
Praebeo: nobilium aut populi non defuit ullus
Officiis ordo; totas facundia gentis
Explicuit vires, qui me, nil tale merentem,
Laudibus opprimeret, quas nec vaeſania ferret.
Poſtridie matronarum veneranda caterua,
Virgineaeque ſimul montem adſcendere cohortes,
Immenſa, fateor, mihi garrulitate moleſtae,
Pertaeſo laudum ac nihili haec tam vana putanti:
Quippe cui turbata alias Reſpublica curas
Injiceret. Cives inter diſſenſio, lites
Nobilium innumerae, voces, lamenta, querelae,
Ludus erant, quo me multo vexare malorum
Auditor patiebar, et infinita fuiſet
Vexantum ſeries, niſi me cenſore repreſſa.

Cu-

Curia, ſuprema cui majeſtate ſenatus
Praeſidet, extinctam quo ſeſe vidit, eodem
Momento reſtauratam pro principe dixi:
Sic ratio, ſic tutricis mandata ferebant.

Curia omnis exauctorata atque illico reſtaurata.

Reſtabat populi vox publica ſacramentum
Diceret, inque fidem Domini jurata rediret
Urbis, et urbium, et Auriacae pars optima gentis,

840.

Populus omnis novo ſacramento publice adactus.

Dicta dies, coelo illustri et ſine nube, coronam
Exhibuit circa radiantem in culmine ſolem,

Halo circa ſolem.

Hic ubi, me celſo in ſolio ſtipante ſenatu,
Ingentis turbae ſolennia verba tonabant,
Ut vetus intenſo tremeret clamore theatrum.
Naturae fuit illud opus ludentis, ut ipſi
Novimus, et modice rerum novere periti:
Ludere tum vero naturae, et in hoc placuiſſe
Articulo, viſum est praeferre quid ominis inſtar;
Quoque Epigrammaticis pruriret vena poëtis.
Pulvere ſulphureo laetae nox laeta peregit
Lucis opus: ſonuere ſclopi, confuſa per urbem
Ignibus illuſtrem plebes, non ſicca cucurrit,

845.

850.

855.

Cum

Cum prius immisſis facibus patrumque meaque
Alta manu conſumpta pyra est, ubi copula princeps
Artificum in flammis GULIELMUS-AMALIA fulſit.

In Provinciam et Narbonenſem Galliam brevis excurſus.

Compoſitis quae juſsus eram componere, retro
In patriam coepi vultumque et vota referre.
Feſtino tamen ante gradu loca proxima, te Mons
Peſsule, te, vetus et Romana Nemauſus, obivi:
Maſsiliae vidi Phoceo in littore portum,
Et muros, Arelate, tuos, operisque ſtupendi
Amphitheatralem ſolidam, non rudera, molem.
Saxa per Herculea intravi te parua Salone,
Noſtradamo ſed magna tuo: quin Staechadas usque
Excurri, ad portas nimium beneolentis Hierae:
Emenſo Magdalenae prope nubila monte,
Luſtrataque ſpecu, de qua quae dicere multi,
Credere pauci audent, ad Aquas campeſtria Sexti
Arva rotis et equis peragravi. Hinc moenia porro
Luſtravi, cujus prope nomen longius ipſa est,
Carpentoracti. Papalis Avennio curtum
Abſoluisſet iter; (postquam Legatus in illa

Se-

Sede Petri Piſcatoris, quos, contulit hoſpes
Vicino, quos reddiderim vicinus honores,
Ordine narrasſem) ſed enim magnete tenaci
Urgebar Laurae rurſum juvenilia, rurſum
Indagare mei veſtigia ſancta Petrarchae;
Quemque ſpecu plena ſpectaram protinus alti
Fluminis autorem, ſicca ſub rupe viderem
Abſorptum (pro naturae myſteria!) fontem.
Singula ſcrutanti minus et minus obuia tantae
Cauſa rei inſtanti magis et magis ardua viſa est.
O ſubterranei nobis miracula mundi
Cimmeriam noctem, quantum neſcimus inepti
Rerum cenſores, ſcioli, ſuper ardua Lyncei
Sidera, in hac caligantes indagine talpae!
Invitum tandem clauſa de valle reduxi
Obnixumque pedem, et longum, loca dulcia, dixi
Hugenio post hac nunquam viſenda valete.

Vice legati Pontificii mutua ſalutatio.

Petrarchae vallem clauſam ſecundo perlustro.

Venerat ergo dies, quae me exilii quadriennis
Pertaeſum, tot post faſtidia, totque labores,
Mitteret ad patrios longum exoptata penates.

A rauſione diſcedo.

Ergo

Ergo ab Arauſionum ſtrictis amplexibus aegre
Avulſus, poteram ſine multa ambage brevique
Ad Batavos rediiſſe via: ſed nempe πάρεργον
Reſtabat, longique operis non longa coronis.
Irer in Burgundiam. Flectere me in dextram juſſus Chalonia quondam
Praedia, Naſſauii in praeſens pulcherrima juris,
Luſtraturus, in Allobrogum divertere fines
Cogor, et inſpecta curſim, quam, carmine claudi
Hexametro nimis indocilem, vitioſa Grenoblam
Chamberii, et Aix en Savoye. Dictio deſignat, Camerinum porro et Aquarum
Sulphureas pervectus aquas, augusta Lemanni
Littora, et illuſtrem ſacris accedo Genevam,
Vicinumque tuum, Dona generoſe, Copetum.
(Conſtantinulus hic tuus e baptismate ſacro
Obtinuit, memini, noſtro de nomine nomen.)
Inde per Heluetios ſaltus, ad ſplendida Bernae
Moenia pauliſper digreſſus, et omnibus illic
Comiter officiis exceptus, ſingula tecum
Auriaci, non ambiguo tibi ſanguine juncti,
Caſtra ducis, per Burgundos et Sequana late

Ar-

Arva, domos, infinitas in montibus arces,
Aeternas et inexhauſto de fonte ſalinas,
Oppida, quae latis olim pomaeria fundis
Extendiſſe docent pulchrae triſtesque ruinae,
Immenſos nemorum tractus, vineta, paluſtris
Montanique ſoli, quantum non milvus ab ortu
Solis ad occaſum praedae venator oberret,
Tecum ſingula non obiter, vir amice, peragro:
O mihi non citra moeſti ſuſpiria cordis
Saepius adſpectam his oculis, ſi dicere honeſtum est,
Magnificam rerum ſtragem flentesque ſuperbe;
Marmoreis ſub ruderibus, ſua fata ruinas!
O belli furor, o rabies, o Sequana tellus,
Ambiguas experta vices, vincentis Iberi
Saepius et victi, neutra non ſorte nocentis!
Tun' vero ſemper noſtris, Hiſpania, damnis
Ditior eſſe voles? nunquam violata pudebit
Sacra Monaſterii juratae foedera pacis?
Omnia pervectis Dolam contendere viſum est,
Auriacos conſulturis de jure patronos

Auriaco doctos: ſed quos fallacis Iberi
Infinitis lactabat verſutia technis,
Bruxellenſe nefas, cujus, dum ſcribimus haec, dat
Non fortaſſe leues Hoſti Burgundia poenas.
His quoque confectis, quantum potis, optimus heros
Ad ſua dilectum diſceſſit rura Copetum.
Me comitis tam jucundi jactura dolentem
Afflixit: ſed enim, gemitu nugatus inani
Quid profecisſem? Reſtabas ultima tandem
Inſpicienda mihi, grandis Veſuntio, (vero
Da veniam) non tota tui Veſuntio juris:
Scilicet Auriacum agnoſcunt quacumque tribunal
Parte tui cives, Caſtri Comes audit avito
Jure tui princeps; cujus te nomine praeſens
Compello, multamque meo precor ore ſalutem.
Applauſit compellanti formoſa, vetuſta,
Nobilis urbs, Romaeque olim dominantis amore
Digna diu, nec pauca rei veſtigia ſeruans.

Crypta glacialis.

Ingens aeſtus erat, toſtoque canicula coelo
Burgundos torrebat agros; cum valle virenti

In-

Incluſam, qua duxit iter, dumisque rubisque
Vallatam pedes intro ſpecum; mirabile dictu,
Obuius intrantem feriit rigor, obuius horror,
Bruma, gelu, glacies, invita aeſtate december
Perpetuus, niſi forte vices variare placebit
